

18 01
1866-69









1666.

1. Braundmyllerus, Jacobus : Dissertationis ad L. Frater
a Fratre 38 ff. de constit. iust. Continuator

2. Happe, Hermannus : De collatione bonorum.
1667.

1. Buxelman, Johannes : De retentione

2. Braundmyllerus, Jacobus : Commentaria ad princ.
proven. iust. ex temporales.

3. Braund, Levinus, de : De actionibus in rem et
personam et in specie de actionibus in rem civili-
bus

4. Burchardus, Jacobus : Fundamentis legis, si quis in
consensibus 29 Cod. de Pactis

5. Marquart, Otto Christoph : De superioritate
iurisdictionis civitatum imperialis usque
juris exercitio



1668

1. Bitterbeck, Henricus de: De parvicidis vulgo
vnm Vater-Mordt
2. Palchovius, Otto Mauricus: De feudis et in specie
de modis acquirendi et amittendi, eorumque expli-
catione
3. Poch, Henricus: De obligationibus in genere
4. Hilling, Godefridus: Dissertatio juridica inaugu-
ralis circa contractum mandatum consecratum
5. Meier, Mathaeus: De assicurationibus mer-
catorum
6. Michael, Johannes Georgius: De rebus sacris
7. Wachner, Othmarus: Disputatio inaug. exhibita
Considerationes auctoris juridici

1669

1. Brandenburger, Jacobus : Consideratio mercatorum
juridica

2. Brinek, Christian Philippus : De somno.

3. Wezelius, Andreas : De collectione legum Mosar.
Craon, Romanorum, Aethiopicorum.



12579

74¹⁰

OTTONIS HENRICI CALCHOVII,
Hasso-Cassellani,

DISPUTATIO INAUGURALIS 1668, 2
JURIDICA

De

FEVDIS,

Et in specie

de

Modis acquirendi & amittendi,
eorumque explicatione:

Quam,

PRÆSIDE DEO T. O. M.

AUTORITATE ET CONSENSU
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Juris-
Consultorum Ordinis in per-antiqua
Rauracorum Academia,

Publicè examinandam proponit,

Die XIX. Maji Anno M DC LXVIII.

Loco horisque solennibus.



BASILEÆ, Typis JOHAN. JACOBI DECKERI,
Academiae Typographi,



OTTO NIS HENRICI CALCHOVII

Halle-Cebellani

DISSERTATIO IN AULICIS

JURIDICA

DE

FREVDIS

Et in specie

de

Modis accipiendi et

conferendi

de

FRASIDE DEO M.

OPUS

ALPHONSI

DE

FRASIDE DEO M.

FRASIDE DEO M.

FRASIDE DEO M.

FRASIDE DEO M.

de

FRASIDE DEO M.

FRASIDE DEO M.





I. N. D. N. J. C.

T H E S I S I.

Differentes vulgò de gravi aliqua materia, ante omnia ipsius excutiunt, & utilitatem, & necessitatem, nos verò, cum ipsa feudorum materia se luculenter satis ostendat, explicari ea hinc superfluum putamus.

Petita est illa assertio ex *l. i. ff. d. in integr. rest.* ubi Ulp. asserit, in Restitutionis materia nullam opus esse commendatione, cum ipsa se satis ostendat: Nec minus hinc facit, quod Suarez. *l. 20. n. 1. & 2. lib. 2. de Leg.* scriptum reliquit: est, inquit, adeò propinqua & consentanea hujus juris ratio, ut statim appareat convenientia, & talium jurium utilitas. Apparet verò suprema utilitas vel ex eo, quòd hoc jus non tantum circa fertilissimos agros, pagos, sed etiam integros Ducatus & Principatus sit occupatum, quòd non tantum ad Laicos, sed etiam Clericos, cujusunque ordinis fuerint, pertineat: Apparet abundè satis necessitas in Principum curiis & Regum, & in extremis eorum tribunalibus. Et sicut principio rerum, ad odiosam evitandam communionem, apprehensione quòdam, singularivè occupatione erat opus, ita postmodum, crescente hominum multitudine, nimiae divisiones & dilacerationes bonorum nobilibus familiis, & commodiori stirpis alicujus heroicæ conservationi, damnosæ visæ sunt atque periculosæ: Atque ideò Reipublicæ cujusvis interfuit, nascenti malo occurrere, remediumque tale excogitare, quo mediante familiarum dignitates servarentur: Nunc verò Feuda pleraque omnia

A



ejus sunt conditionis, eoque jure censentur, ut exclusis à successione fæminis, quæ in aliam familiam migrantes (suæ familiæ & caput & finis esse perhibentur) soli succedant mares, per quos familiarum nomina propagantur ac conservantur: Unde &

Domus columna liberi sunt masculi:

Quod Rittershus. in *proleg.* ex Eurip. citat. Certissimum autem est, familiarum dignitates sine opibus vitæque præsiidiis conservari & consistere non posse: Ut autem ad institutum quàm celerrimè properem, de duobus præcipuè loquendi animus est: Primò *de Modis acquirendi Feudi*: Secundò *de Modis amittendi*. Atque hæc sunt duo ista, quæ cœlesti favore decenti ordine pertractabimus.

II.

Jus Feudorum à Germanis gentibus originem traxisse, nemo nisi Germaniæ invidus diffitebitur.

Ansam hujus nostræ assertionis Tacitus, Germanarum rerum scriptor, Libell. *de morib. germ.* præbere videtur: pluribus enim refert, amplo comitatu studuisse Principes, quem ex bello aluerint, & ad bellum conduxerint, ejus autem verba inter alia hæc sunt: Jam verò infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse: Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriæ ejus assignare, præcipuum sacramentum est: Principes pro victoria pugnabant, Comites pro Principe: Atqui exinde Feudorum vestigia perspicuè satis observantur. Causæ instituti hujus variæ fuerunt ac incertæ, quantum autem augurari licet, prima & antiquissima fuisse videtur, ut Principes sibi adjungerent beneficiarios, quorum operâ militari in expeditionibus, quoties usus incidisset, uterentur, ac ita perpetuum quasi haberent exercitum, & hujus operæ præmium & auctoramentum essent prædia quædam ipsis concessa, ex quibus Vasalli se honestè alerent atque exhiberent, hinc etiam est, quòd Vasalli toties appellantur milites in libris Feud. C. miles 21. F. 2. & seqq.

III.

Principium ergo hujus non à Longobardis tantum,

tum, sed & aliis Germaniæ populis, putà Francis, Bojariis, Suevis, &c. repetendum existimamus, ad hujus enim velut Pandoræ Hesiodeæ exornationem non solum Longobardi, sed omnes omninò certatim contulerunt.

Si tamen aliqui pertinaciùs pro Longobardis stent, non absurdum fuerit, eandem originem tribuere Longobardis & Germanis. Illos enim ex Germania in Italiam venisse circa annum Christi 568. historicæ veritatis est, Bernegg. *quest. miscell.* 71. hujus etiam rei præcipua argumenta sunt, quòd nullibi frequentior sit feudorum usus atque in Germania, quodque historici rerum germanarum ferè soli faciant horum mentionem: quòd verò à paucis quandoque & quasi per indicem una atque altera aliorum etiam populorum consuetudinum sit delineatio, id nihil quicquam sententiæ nostræ contrariatur, eatenus enim lubens concessero, quatenus quis prius à nostratibus quævis mutuata crediderit, mutuaris deinde facile fuit addere vel demere, secundum reipublicæ cujuslibet ac regionis normam: Neque tamen alios populos horum jurium adeò facimus ignaros, ut planè nullam ipsis tribuamus notitiam, quin potius fatemur, talia quoque in aliis regnis reperiri vestigia, quorum intuitu affirmari posset, habuisse si non similes, tamen tales consuetudines, quæ Feudorum legibus multis modis conveniant: Has tamen ita intuemur, ut concludamus, esse magis aliquam convenientiam, quàm veram consonantiam, *J. 2. Inst. de patr. pot.* Sic in Turcia *Timaria* Feudis nostris adeò non sunt dissimiles, ut *Besoldus* testatur, sed miseræ conditionis annexæ, quæ unicè pendet ab Imperatoris nutu: Nec Jappones hoc institutum ignorârunt, autore *Molina de Just. & Jur. rom. 2. disp. 485.* Majores, inquit, Dynastæ sub supremo aliquo Principe ita constituti, divisa habent loca, quibus dominantur in alios sibi inferiores, cum eisdem oneribus, sibi inserviendi in bello, & præstandi alia realia onera, & illi in alios, quousque devenitur ad infimos *tonos*, quos ipsi vocant, qui similiter dominantur unusquisque in suo oppido & simili ferè lege, ut Vasalli ipsum comitentur in bellum,

& servitia alia realia præstent. *Pergit autem*, Mores tamen & usus Feudorum non iidem sed diversi in aliquibus sunt apud ipsos ab iis, qui in Germania vigent, quique in libro in Corpore juris inserto continentur. De Persis quoque verisimile est, aluisse quasi Vasallos, quos patriâ linguâ vocârunt *Satrapas*: Sed neque hi Satrapæ Vasallis nostris comparari possunt, cum tantum simpliciter fuerint ministri Regii, & Præfeti Provinciarum, sicut ex Herod. *lib. 1. p. 9.* Dn. Struven. in *Syntagm. Juris feud.* id ipsum interpretatur: Sic hodie in Gallia Magistratus omnes cum hac formula à Rege mandantur, *quàm diu nobis placebit.* Hotom. *ad tit. 1. lib. 1.* In Hispania ac Lusitania viget Jus Majoratûs, quod ipsum etiam cum Feudis aliquam habere videtur affinitatem, & à dicto Molina *disp. 577.* definitur, quòd sit affectum vinculo, ut in eo inalienabili ac indiviso eo ordine ipso jure succedatur, quo ab illius institutore fuerit statutum. Verùm cum omnia, de quibus modò verba fecimus, abortus potiùs ac spurii, quàm revera feuda dici mereantur, ulterioribus lictis ambagibus, ad specialem rei nostræ considerationem meritò accedamus.

IV.

Haftenus de Feudorum origine generaliter. Sequitur nunc, ut ipsius quoque vocabuli specialem inquiramus rationem, cujus intuitu statuimus, Feudum à fide seu fidelitate appellari.

Erat autem antiquissimo tempore in potestate dominorum, ita connexum, ut quando vellent, possent auferre rem in Feudum concessam, cum autem hæc consuetudo Vasallum ad fidelitatem non obligaret, eò postmodum ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberet, verùm cum neq; hæc fidelitas obligatoria satis esset, factum tandem est, ut ad vitam usque statutum produceretur: Hotom. *ad tit. 1. lib. 1. §. 2.* Atqui ideò ii, quibus Feuda data sunt, à fide *ἡ ἐξ ὀχῆν* dicuntur fideles, quia iis, à quibus Feuda acceperunt, fideles esse debent. Rosenth. *c. 1. concl. 6. tr. feud.* Accedit quòd Domini Vasallis scribendo eos, fideles suos appellent, nostrâ linguâ *Getrewen* / prout idem Principes solent dicere

dicere *vnserem Lieben Gerrewen*. *Gail. de Arrest. c. 7. n. 11.* Fides enim est pars intrinseca substantiæ Feudi, & per hanc partem intrinsecam intelligitur forma, quæ est Feudi jam constituti: Nam in Feudo constituendo fides est finis, juramentum fidelitatis substantiæ pars non est, sed civili saltem ratione ad astringendam Vasalli fidem adhibetur, quæ civilis ratio substantiam à natura distinguit, poterit igitur vel consuetudine vel pacto remitti, manente nihilominus Feudo, quoad fidelitas manet. *Hattys. in Analys. feud. c. 2.* Feuda autem germanicè vocamus *Lehen* à verbo *Lehen* / quod significat commodare & utendum fruendum aliquid concedere, *Ludvv. in synops. Feud. c. 2.* atque hæc sunt, de quibus agere jam decrevi.

V.

Priusquam autem ulterius progredior definitionem Feudi proponere utile reor. Est autem nihil aliud quàm ususfructus quidam rei immobilis sub conditione fidei & obsequii concessus.

Vultejus lib. 1. cap. 2. n. 9. quæ definitio etiam logica est & juri, quin etiam naturæ omnium feudorum conveniens: Intelligendum quoque est, tres feudi partes hîc esse notandas, Personas, Res, & Jus: Personæ sunt Dominus & Vasallus, Res est materia Feudi, *Hotom. disp. feud. c. 4.* Jura variè & tam circa Dominum quàm Vasallum sunt consideianda. Idem est, quod *Dn. Struv. in Syntagm. Jur. Feud. dicit*, tres occurrere relationes, primam esse inter Dominum Feudi & rem, quam concessit alteri in feudum, in qua habitudine consistit dominium seu proprietas illa, quam retinet Dominus feudum concedens. Secunda est inter Vasallum & rem in Feudum concessam, qua in relatione essentia Juris, quod Vasallus tenet, consistit. *Joh. Nidel. prat. Log. 5. part. 5. c. 5. princ. in fin.* Tertia est inter personam Domini & personam Vasalli, quæ continet conditionem essentialem, sub qua Vasallo tanquam subjecto inest. Subjectum relationis illius, quâ Vasallus refertur ad rem feudalem, est persona quæ Feudum habet: Fundamentum illius relationis, est qualitas sive potentia quædam moralis, facultas scil. re utendi fruendi, de quæ illa disponendi. Terminus est potentia



passiva, cujus subjectum est res, quæ certo modo subjacet usui & dispositioni Vasalli. Feudum autem esse usumfructum in definitione asserimus, neque abs re, cum expressè, in *c. Obertus 23. feud. 2.* dicatur, quòd ususfructus illius rei, scil. immobilis, ita ad accipientem transeat, ut ad eum heredesque suos masculos sive fœminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat, ad hoc ut ille & sui hæredes fideliter Domino serviant. Parùm ergo moramur rationes Hotomanni, qui negat, ususfructus nomen Feudatario convenire, cum & ususfructus natura & proprietas hæc sit, ut unius personæ finibus coërceatur, neque ab eo discedere sine sui interitu possit, *L. 15. ff. famil. hercisc.* Feudum autem ut ager vectigalis ad heredes, i. e. liberos, posterisque perpetuo jure transeat. Ille enim suis quasi perit armis, cum in *d. l. jus utendi fruendi loco generis* ponat. Definatur esse ususfructus *quidam*, non nudè est ususfructus, ut notetur improprietas, quia ususfructus propriè sic dictus non transit ad heredes, quemadmodum Feudum ad heredes transit. *S. 1. Inst. de legat.* Legatum definitur, quòd sit donatio *quædam*: Quod additamentum non est supervacuum, quippe legatum propriè donatio non est, siquidem in omni donatione res inter duos agitur, nec ulla est donatio sine acceptione, ne mortis quidem causâ, Legatum autem solâ testatoris voluntate constat. Minus obstat, quòd Feudum multis differat ab ususfructu: Resp. enim cum *Vultej. c. 2. n. 9.* has differentias esse specierum, non generis vel ususfructus propriè sic dicti, non ususfructus qui consistit in omnimoda fructuum perceptione, sive transeat sive non. Requiritur deinde, ut res sit immobilis, nullâ habitâ differentie illius ratione, quâ vulgò inter rem naturaliter & civiliter immobilem distinguunt, ubi naturaliter res immobilis dicitur, quæ suâ naturâ moveri nequit. *tit. de Reb. Corp. & Incorp.* Civiliter, quæ intellectu sive lege pro immobili habetur: utriusque autem sive naturaliter sive civiliter immobilis sit, dum tamen quo ad fidelitatem ad recipiendum jus Feudi immobili æquipollet, Feudi capax erit. *2. Feud. 23. in fin.* quocirca etiam nullus dubito, quin feudum quoque in servitute consistere possit, quæ namque remedia competunt nomine rerum immobilium, & competunt nomine servitutum, v. g. *Interdicta, l. 9. S. 13. & seq. ff. de vi & vi*

ARM.

ann. leg. ult. de Servit. l. 8. §. 5. ff. de servit. vind. Quæstionem hanc extendo ad eum, qui Feudum jam quæsitum habet, de quo verius est, eum servitute fundo feudali imponere posse, ita tamen, ut hæc impositio ipsi tantum, non Domino nec agnatis noceat, *S. rei autem. 2. Feud. 8.* Requiritur deinde, ut concessio ex benevolentia descendat, atque idem requiritur in *c. si quis. 1. Feud. 27.* non quasi hanc benevolentiam statueremus de essentia Feudi, adesse enim potest vel abesse salvâ nihilominus feudi substantiâ, v. g. in feudo Emptilitio pretium intervenit, quod tamen contrariari videtur *d. c. Obertus. 2. F. 23.* ubi feudum dicitur beneficium, verum falsò ibidem præsupponitur, omne beneficium esse gratuitum, cum tamen nusquam neque ad substantiam, neque ad naturam feudi requiratur, ut sit gratuitum, sed tantum ut ex benevolentia & amore Domini proficiscatur, quod etiam eo casu, quo pecunia intervenit, contingere posse manifestissimi juris est, arg. *l. 3. ff. de obseq. parent. & patron. prest.* per benevolentiam autem nil aliud indigitamus, quam spontaneum motum, hoc enim tanquam generale ad omnem feudorum materiam rectè refertur: Nam quod coactè vel metûs causâ gestum est, ratum non habebò, inquit *Prætor in l. 1. ff. de eo quod met. caus.* fit vox Dei, quam posuit in ore Prætoris, *Gloss. ad d. l. 1.* denique postulamus conditionem fidei, sine qua feudum consistere nequit. *Wesemb. c. 1. n. 13.* adeoque nec pacto neque conventionem remitti valet. *l. fin. ff. de suis & Legit.* Remitti quidem potest fidelitatis juramentum, non tamen ipsa fides. Hinc si fidelitatis mentio in jure feudali fit absolute, fidelitas gemino intelligitur significatu, primus est, quo denotatur ipsa fides, ad quam præstandam Vasallus in investitura se Domino obligat. Secundus est, quo per Metonymiam significat jus jurandum, quo fidelitatem sive fidem illam Vasallus Domino pollicetur. In posteriori significatu fit remissio, non tamen in priori. Feudum etiam in quo superius pactum intervenit, feudum esse desinit, aut si contrahentes valere velint, res transit in alium contractum Emphiteuticum vel similem.

VI.

Occasione hujus Feudis attribuimus substantialia
& naturalia.

Sub-

Substantialia quod attinet, subdividuntur in ea, quæ ipsam
essentiam constituunt, & ea quæ essentiam necessariò conse-
quantur. Ad illa pertinet, quod non plena proprietas, neque
etiam nudus ususfructus, sed utile dominiû alicui sit constitu-
tum: Ad hæc mutuâ fides, quam Dominus etiam debet Va-
sallo, Struv. c. 2. thes. 5. quamvis Schraderus contrarium sibi
vindicat, concludendo, solam fidelitatem esse substantiam feu-
di, part. 2. conclus. 2. n. 33. Imò pacto posse effici, ut proprietas &
ususfructus in Vasallum transeant per c. Si quis ea de Feud. non
habent. propriet. Feud. nat. 2. Feud. 48. Sed Resp. in d. c. proprie-
tatem ipsam minimè in Vasallum transferri, sed liberam con-
cedi alienandi facultatem, ita ut etiam jure allodii & propriâ
feudi naturâ planè extinctâ, in emptorè donatarium vel alium
transferri possit. Rosenth. c. 9. conclus. 41. n. 19. proinde si pa-
ctum intervenit, ne fides præstetur, feudum quidem ipsum
non est inutile, sed pactum: Ratio est, quod utile per inutile
non vitietur, l. 37. ff. de Reg. jur. & ut suprâ dictum, ubi tale pa-
ctum intervenit, feudum incidit in aliud negotium & desinit
esse feudum: Rationis ratio est in S. fin. Inst. de Libert. Si quod
ago non valet ut ago, valet tamen ut valere potest. Atqui hoc
verum est, si utile ab inutili separari queat. l. 1. §. 5. in fin. ff. de V. O.
non verò si separari non possit. l. 31. ff. de O. & A. non solum sti-
pulationes impossibili conditione applicatæ nullius momenti
sunt, sed etiam cæteri quoque contractus, veluti Emptiones,
Locationes, impossibili conditione interpositâ, æquè nullius
momenti sunt: Quia in ea re, quæ ex duorum pluriumve
consensu agitur, omnium voluntas spectatur, quorum procul
dubio in hujusmodi actu talis cogitatio est, ut nihil agi exi-
stiment, appositâ eâ conditione, quam sciant impossibilem.
Deinde mutua fides, quam Dominus etiam debet Vasallo, re-
quiritur c. 6. F. 2. S. ult. 2. F. 55. Dominus enim & Vasal-
lus pari jure censentur / Sollen in gleichen rechten geachtet vnd
gehalten werden. Gail. 2. obs. 34. n. 3. item in Domino & Vasallo
fides debet esse reciproca. d. c. 6. in fin. Feud. 2. Et alibi æqua-
lem oportet esse fidei relationem inter Dominum & Vasallum,
ut fidus Dominus efficiat fidum Clientem; Vulgò enim ita
dicimus

dicimus *Trewer Herr / Trewer knecht. Mynsing. 4. Obs: 91. n. 3.*
Et tantum de Substantialibus.

VII.

Naturalia secundum nostram definitionem Duo
sunt, Res Immobilis & Benevolentia Domini.

Hujus tamen utriusque cum jam in præcedentibus men-
tio facta sit, similiter de Juramento fidelitatis, de servitiis præ-
standis, actum agere nolo. Hisce nunc facillimè annectere pos-
sem differentias eorum Jurium, quæ cum feudis cognitionem
quandam habent, & vel Jure Civili sunt introducta, vel mo-
ribus, v.g. Ususfructus, Emphyteusis, Superficies, Jus b. f. pos-
sessoris, Dos, Jus Libellarium, Censualis contractus, Precaria-
Jus protectionis & alia: Verum cum non sit instituti de his pro-
lixè agere, ad propositos me modos constituendi feuda confero.

VIII.

Ab essentia atque natura feudi progredimur ad
constitutionem & acquisitionem, ubi considerari de-
bent primò Personæ, deinde Modi quibus feudum
constituitur.

De personis constat, omnes feuda concedere posse, dum
tamen rerum suarum legitimam habent administrationem,
sive Ecclesiasticæ sint, sive Laicæ. Per legitimam Administra-
tionem intelligo non id, quod opponitur alienationi, ut in lege
3. §. 2. ff. ad SC. Maced. l. 7. in pr. ff. de donat. sed intelligo duo
conjunctim, ut quis sit Dominus, deinde ut habeat liberam
rerum suarum administrationem. Vultej. l. 1. c. 3. n. 3. sub qua
contineatur Alienatio, accidit enim aliquando, ut qui Domi-
nus rei est, rem tamen non possit alienare, & qui Dominus non
est, alienandæ rei potestatem habeat, v. g. Dotale prædium ma-
ritus invitâ uxore per L. Juliam prohibetur alienare, quamvis
ipsius sit Dominus, pr. Inst. Quib. alien. lic. vel non. Alienare
deinde possunt, qui Domini non sunt, velut Tutores, Curato-
res, & Procuratores, atqui hi omnes feudum constituere neque-
unt, cum aliqua subsit alienationis species. Renovare tamen
feudum jam acquisitum prohibentur nullibi.

B



IX.

Modi sunt vel constituendi, vel acquirendi: Constituendi numero Tres: Ultima voluntas, Contractus, Nudum Pactum.

Differunt autem Modi constituendi & acquirendi, ut antecedens & consequens, & quamvis fieri possit, ut interdum tempore sint simul, naturâ tamen Constitutio Acquisitione prior est. Vultej. c. 7. n. 1. Constitutionem autem referimus ad Dominum, Acquisitionem verò ad Vasallum, quando enim à Domino feudum in re constituitur, eo ipso Vasallus id acquirit, atque idem hic est quod in usufructu, ubi DD. distinguunt inter finitum & amissum, usus autem hujus distinctionis & necessitas cuius sunt in proparulo: Adeoque non inficias eo, hos modos à plurimis sæpè confundi, quod ipsum etiam Obertum fecisse c. sciendum 25. F. 1. conqueritur Wesenb. c. 6. in pr. interim & ipse haud multò feliciter illos distinguit. Horom. in disp. feud. c. 17. sex facit modos: Donationem, Emptionem, Permutationem, Successionem, Præscriptionem, & Inductionem in Possessionem. Alii in paucitate peccant, inter quos est Vultejus, qui modum constituendi facit unicum, nimirum Investituram, motus d. c. Sciendum. 25. F. 1. Sed cum ipsum Obertum in hac parte dormitantem supra declaravimus, unicum illum modum ad acquisitionem potius quàm constitutionem pertinere putamus. Quid verò habendum de morte, annon & illa est modus constituendi feudum? Resp. mortem se non habere in relatione ad feudum constituendum, sed ad feudum jam constitutum, ita ut illud morte unius ad alium devolvatur.

X.

Testamento vel aliâ ultimâ voluntate, putà si quis moriturus certam rem alicui in feudum legaverit, feudum rectè constituitur.

Rationem addit Wesenb. in c. 6. n. 6. Quod enim inter vivos contrahendo alicui licet, de eo multò magis in ultima voluntate disponere ei permissum est. Inst. de Leg. fus. can. toll.

Atqui

Atqui cum nusquam in jure feudali hoc prohibitum reperia-
tur, ejus decisio commodè ex jure feudali peti potest. *d. c. Ober-*
eus. in fin. pr. F. 1. ad quod Schrad. de feud. q. 6. latè: Dissentiente
Molin: in consuet. paris: §. 1. Cl. 5. n. 72. cui etiam sententiæ sub-
scribit Thom. Franz. in disp. de Feudor. orig. & progres. thes. 46.

XI.

Feudum non est contractus, sed variis contractibus
pro arbitrio contrahentium constituitur.

Contra Rittershus. *lib. 1. c. 13. quest. 5.* Etsi enim pactum feu-
do adjici possit, inde tamen minus rectè concluditur esse con-
tractum, non enim tantum contractibus sed aliis etiam rebus
adjici pacta posse patet ex traditione *l. in traditionibus 48. ff. de*
Pact. l. 10. C. eod. Imò etiam Emancipatione. *§. fin. Inst. de Legit.*
agn. success. Potest ergo constitui Emptione & Venditione,
Permutatione, sive Cambio (uti Feudistæ vocant) & stipula-
tione *C. Si quis adquisierit. 20. F. 1. c. Negotium. 25. F. 2. c. Impe-*
rialem. 2. F. 55. Errat igitur Ludoph. Schrad. *tr. Feud. part. c. 1. n. 1.*
cui feudum est contractus nominatus.

XII.

Pactum nudum dicitur, quando sine stipulatione
inter duos conventum est, ut unus rem immobilem
alteri utendam fruendam concedat, isque vicissim
pro hoc beneficio ad fidelitatem & servitia obstri-
ctus sit.

Atqui hoc pactum idem est quod contractum vocat Ro-
senth. *c. 1. C. 4.* Quotiescunque, inquit, per hujusmodi juris
civilis scripti obligationem res aliqua in feudum promittitur,
tum istam promissionem modò esse & permanere contractum
nominatum, modò innominatum, modò stricti juris, modò b. f.
(prout cujusque natura scripto jure approbata est) ratio ipsa
dicat. Atqui hoc idem est quod negamus, pactum enim hoc
obligationem efficacem non producit, quod tamen in omni
contractu fieri debet. *argum. l. 7. ff. de Pact.* Ex communi tamen
DD. opinione, qui moribus nostris ex quovis pacto, moribus
non improbo, actionem oriri existimant, hæc sententia ad-
mitti potest. *Ludvv. in Synops. feud. c. 7.* & ita non alia erit datio,



vel factum, quod in futurum concipiatur: Alia datio vel factum præfens, seu maneat in datione vel facto hæc diversitas temporis, utriusque in actionis ortu idem erit effectus.

XIII.

Haftenus de modis constituendi feudum: Sequuntur ii, quibus acquirimus, quorum pariter tres ponimus, Investituram, Successionem & Præscriptionem.

His nunc alii addere solent sententiam Judicis: At sententia Judicis nec constituendi modus nec acquirendi est, sed est tantum juris jam constituti declaratio, neque movet quicquam in contrarium supra allegatum *c. 25.* quamvis enim feuda non nisi investiturâ constitui & acquiri dicantur, cæteri tamen modi, quorum hîc mentionem facimus, in illo non excluduntur, æquè enim præscriptio, licet sola sit, sufficere potest ad acquirendum feudum, atque Investitura. *C. si de feudo 26. S. si quis per triginta. F. 2.* Quod verò successionem attinet, expressa ejus fit mentio in *c. Obertus 1. in fin. F. 2.* de quibus tamen singulis separatim agemus.

XIV.

Investitura est solennis feudi traditio, quâ Dominus Vasallum suum fidelitatem promittentem verè vel fictè inducit in possessionem rei feudalis.

Actus solennes in jure nostro varii sunt, Testamentum, Adoptio, Arrogatio, Stipulatio, &c. idcirco ut à quovis ejusmodi actu solenni suâ formâ separetur Investitura, adjicio in definitione loco differentiae specificæ, quâ Dominus Vasallum suum fidelitatem promittentem verè vel fictè inducit in possessionem rei feudalis, & Vasallus Domino fidelitatem promittit. Nunc etiam paucis agam de etymologia hujus verbi: Est autem non Latinæ sed Germanicæ originis, à noto nomine *Best* / quod firmum significat, unde etiam in titulis ponere solemus dem *Ehrenvesten* / quasi dicas retinenti & servanti honorem, hinc etiam verbum *befestigen* / i. e. firmare. *Rittershus. c. 8. q. 2.* sensu eodem dicitur investitio *c. 26. F. 1.* nostrate linguâ eine *belehnung*:

Bestimmung: diximus de traditione vera vel ficta, ubi nihil inter-
esse putamus, utrum quis ipse accipiat aut per substitutum,
cùm per Procuratorem etiam ab utraque parte hoc negotium
ex pediri possit, *C. per quos fiat invest. 2. F. 3. in S. Hodie plerum-
que fit per Cancellarium & Consiliarios, durch Cansler vñnd
Nathe.* Verè autem fit vel fictè, sicut etiam traditio, alia fit vere
alia fictè, v. g. Symbolica: vera, uti dictum, est in qua quis cor-
poraliter & realiter *wiretslich vñnd leiblich* inducitur in posses-
sionem, *wan er in das Lehen guth geführet vñnd eingewisen wird.*
Inficta verò traditione etiam signa sufficiunt intervenire, ut
putà vexillum, hastam, gladium, baculum, anulum, &c. Hæc
autem sunt signa representaria, & admonitiones de rebus ne-
cessariis insinuantia hominum animis, quibus traditis, res ipsa
quodammodo repræsentata videtur. Sic Germani veteres, in
militiam cooptantes aliquem juvenem scuto & framea orna-
bant, quasi togam virilem ipsi darent. Tacit. *in Lib. de Morib. Germ.*
Sic hodiè adhuc solenne est, ut rerum capitalium judex cum
sententia capitis in reum aliquem pronunciata est, bacillum
confringat, quasi hoc ipso ritu significaret, eodem modo vitam
hominis illius, quo de agitur jam destructum iri, & animam è
corporis latebris per mortem violentam extrahendam esse. *N.
S. D. Carol. V. art. wann der beflagte. 96. & 97.* Pariter hodiè
in solennibus Doctorum creandorum offeruntur annuli, por-
rigitur liber, modò clausus, modò apertus: Canonicus qui est,
investitur per librum: Abbas per baculum: Per baculum & li-
brum Episcopus simul: Sic Julianus fidens sibi, præfectum
prætorio Suburanum, cùm insigne potestatis ex more, pugio-
nem nimirum, ipsi daret, monuit: Tibi, *inquirebat*, hunc illum ad
mei monumentum commito, si rectè agam: Sin verò aliter
in me magis, quòd moderatorem omnium vel errare minùs
fas sit: Johann. à Feld. *d. Element. jur. part. 4.*

XV.

Forma investituræ est solennitas, quæ consistit in
legitima testificatione.

Hæc verò testificatio vel testibus fit, vel instrumentis. De
priori autem primò videbimus: Testatò ergò fieri debet inve-



ritura, i. e. adhibitis testibus ad minimum duobus. C. cum esse.
x. de Testam. Ubi enim testium numerus definitus non est, ibi duo
sufficiunt, cum pluralis locutio duorum numero contenta sit.
l. ubi numerus. ff. de Test. C. Notandum § 8. F. 2. qui etiam testes
possint adhiberi, inspicere operæ erit pretium, adhibentur au-
tem qui prohibiti non inveniuntur, prohibentur verò servi
& foeminae, in servis ratio est manifesta, quia testes debent esse
liberi homines, d. c. § 8. In foeminis verò variant, negant enim
alii rationem hujus prohibitionis dari posse, alii verò inter
quos est Dn. Struven. inquit, testes intervenire non tantum
probationis, sed etiam solennitatis gratiâ. C. Sive Clericus 32.
F. 2. in verbo, sine hac solennitate, quo casu foeminae ad testan-
dum planè sunt inhabiles. arg. l. 20. §. 6. ff. Qui Testam. fac. poss.
quamvis autem dicta ratio sufficiens esse possit, propiùs tamen
accedere videtur Ludvv. in Synops. feud. Est, inquit, petenda
vera ratio ex antiquo Testamentorum more, quo omnia testa-
menta, vel calatis comitiis, vel in procinctu fiebant, §. 1. Inst. d.
Testam. Ord. Mulieres autem nec comitorum, nec belli habebant
communione, atqui cum feuda à jure militiae occasionem
trahant & Investituræ solenniter ac publicè in cœtu virorum
fiant, cui interesse non satis conveniens honestati & sexui vide-
rur, l. 1. §. 5. ff. d. Postul. facile adducor, ut huic sententiæ assentiar.
Prohibemus deinde testes, qui dantur extranei, extraneos autè
opponimus Paribus Curia, qui soli legitimum testimonium
adhibere possunt, Schneidvv. p. 4. n. 12. Dicuntur autem Pares
Curia, Gleiche Gesellen/ qui etiam Pares Curtis c. 3. F. 1. vocan-
tur: Compares. tit. 54. F. 2. Pares domus II. F. 1. Pares de domo
domini. 26. §. 5. quis ibi per duos pares de domo ipsius domini. F. 1. cen-
sentur autem illi pares curia, qui feudum habent in eodem
territorio, in quo beneficium conversum est. Mynsing. Cent. 4.
obs. 89. in fin. Territorium autem crasse accipere oportet, pro
universitate ditionis, quæ specialem habet titulum, & ad uni-
us justam administrationem respicit, itaque cum Princeps
multa habet territoria (quod videmus ex diversis ditionum
titulis, suntque in unaquaque ditione Beneficarii sive Vasalli,
rectè quidem illi omnes dicuntur Vasalli Principis, sed non
omnes sunt Pares Curia, sed solùm hi, qui in territorio feudi
litigiosi

litigiosi beneficium habent. Verùm ne ad devia flectamur nimis, ad testimonium revertimur, quod diximus ab Extraneo dici nequire, nisi in nonnullis casibus exceptis, qui videri possunt apud Bocer. *tr. de invest. feud. c. 4. n. 55.* Ludw. *in Synops. feud. c. 8.* idcirco autem Pares Curiaë præferuntur extraneis, si haberi possunt, quia carent omni suspitione falsitatis, utpote qui arctiore fidei vinculo dominis sunt astricti quàm extranei, à quibus metuendum, ne quid falsitatis excogitent in perniciem domini testibus his inductis, qui vel pecuniâ, vel odio, vel gratiâ fortè corrumpi possent, quæ omnia, uti dictum, in paribus non sunt suspicanda. *c. 58. §. idcirco. F. 2.*

XVI.

Pars testificationis altera est testamentum, quod alio nomine à Feudistis vocatur breve testatum.

C. 2. & 3. F. 1. Est autem nihil aliud, quàm instrumentum publicum, investituræ negotium continens, testium subscriptione munitum. *d. Bocer. c. 4. n. 68.* Illud autem instrumentum publicum Germanis dicitur ein Lehnbrieff. Quamvis autem ad substantiam investituræ olim breve testatum non erat necessarium, hodiè tamen de consuetudine solent fieri literæ investituræ, non tantùm supra novo feudo, sed etiam in renovatione feudi antiqui renovantur instrumenta investituræ, daß man die Lehnbrieffe verneuert. Et quia tenor investituræ etiam derogat ipsi Feudorum juri, Wie man sich dann täglich nach den Lehnbrieffen richtet vñ hält. Inde etiam benè esse advertendum in talibus literis, ut cautè & cū diligentia adficiantur, Schneidv. *monet p. 4. n. 29.* cujus etiam formula videri potest *in annot. ad d. part. 4.* ut verò hoc instrumentum fidem faciat de legitime factâ investiturâ, quæritur in primis, an in illa subscriptio sit necessaria? hoc est, an Parium subscriptio requiratur? id quod jure feud. affirmandum videtur ex *c. 2. F. 2. c. Sive Clericus 32. F. 2.* Hodiè tamen in praxi præsentia parium Curiaë, vel aliorum testium necessaria non est, sed sufficit instrumentum publicum sigillo domini roboratum, licet careat subscriptione parium, modò instrumentum faciat mentionem parium, quòd illi adhibiti sint investituræ negotio. *Schrad. Tr. feud. part. 5. c. 2.*

N. 12a.



n. 12. Publicum enim instrumentum, quale est breve testatum, regulariter & necessariò non requirit, testium, qui tamen adhibendi sunt, ut subscriptione muniatur, arg. l. 17. C. de Fid. Instr. Sed sufficit addatur formula, cujus exemplum & ideam ponit Dn. Struven. c. 8. Thes. 5. darbey seind gewesen die Beste vnd hochgelehrte vnserer Ráthe / vnd lieben getreuen N. N. vnd andere mehr der vnseren genugsamb glaubwürdige.

XVII.

Investituram excipit iuramentum fidelitatis, siue nuda fidelitas quâ Vasallus domino vel juratò vel etiam sine iuramento promittit, se ipsi fidelem fore, commoda ipsius promoturum, damna auersurum, dignumque respectum præstiturum

C. Qualiter §. F. 2. Notandum autem hîc, quòd in usibus feudorum dupliciter usurperur fidelitas, primò pro ipsâ fide quæ promittitur: Secundò pro iuramento, quo quis ad fidem illam præstandam sanctè se obligat, Da nemlich der Vasall dem Lehnherrn verspricht getrew zu sein / cæterum quando vocabulû fidelitatis pro iuramento accipitur, triplex constitui potest ea fidelitas: Prima namq; est iuramenti subiectionis, quòd subditus præstat domino territorii, sub cuius iurisdictione habitat, & vulgò vocatur die huldigung. Secunda fidelitas est domesticitatis, quæ præstatur ab officariis & consiliariis ratione officiorum. Tertia est Vasallagii siue homagii, germanicè die Lehenspflicht / quæ à Vasallo ob feudum sibi à domino concessum præstatur. Vultej. lib. 1. c. 6. n. 5. De prima videri potest Speidelius, in verbo huldigung. De posterioribus, & an in eodem subiecto consistere possit triplex illa fidelitas, vid. Vultej. d. loc. n. 56. & 7. Forma fidelitatis elegantissimè depingitur in c. 6. F. 2. ubi dicitur, quòd is qui jurare velit, sex semper in memoria habere debeat, 1. incolume. 2. tutum. 3. honestum. 4. utile. 5. facile. 6. possibile. Incolume sub se comprehendit, ne sit in damno domino de corpore suo: Tutum ne afferat damnum domino per revelationem secreti sibi commissi, vel etiam de munitionibus suis, per quas tutus esse queat. Honestum requirit, ne sit in damno, ipsi de iusticia vel aliis causis, quæ ad honestatem pertinere videntur

dentur domini. Utile expedit, ut absteineat à damno inferendo bonis ipsis vel aliis negotiis. Facile extenditur ad ea, ne domino faciat difficile, quod ipsi erat facile, sicut & Possibile ad id refertur, ne ipsi aliquod impossibile inferatur per Vasallum, quod domino quidem possibile antè fuerat. Schrad. *part. 6. c. 6.* Ex prædictis nunc apparet, quomodo Vasallus sese gerere debeat domino juraturus, juratur autem principaliter & plerumque secundum regionis consuetudinem, & ubi specialis consuetudo non reperitur, sufficere potest generalis & vulgaris, quæ sic habet: Ich schwere dem N. N. seiner Gn. vnd deroselben leibs Lehnserben / auch dero Fürstenthumb vnd Landen / oder Graffschafften / frommen / Ehr vnd Ruh zu fördern / schaden zu wenden vnd zu warnen / nach meinem höchsten vermögen / vnd sonderlich wo ich erführe / daß Ihr Gn. etwas an Leib / Ehr / Würden vnd Stande / ihrer herrschafft zu wieder / vnd zu Land- vnd Leutheverkleinerung von jemand etwas solte vorgenommen werden / dasselbe seiner Gn. zu offenbahren / vnd mit höchstem fleiß verhüten / auch sonst getreu / gehorsamb vnd gewärtig zu sein / zu dienen vnd alles anders zu thun / halten vnd lassen / was einem frommen getreuen Lehnmanne / gegen seinem getreuen Lehnherren / nach gewohnheit vnd von Rechtswegen zu thun gebühret / als mir Gott helffe vnd sein heiliges wort. Schneidvv. *p. 5. n. 79.* Sic Speid. refert per Lehnman. quod sub Regibus Francorum olim etiam personæ Ecclesiasticæ, & Episcopi iuramentum fidelitatis sive homagium, Getreu vnd hold zu sein / ipsis Regibus præstiterint, hâc formula: Ich wil nach meinem besten verstand vnd vermögen / durch Göttlichen beystand / Euch meinem Könige / in Krafft vnd von wegen meines dienstes / mit Rath vnd That ein getreuer helffer seyn / daß ihr das Königreich / so euch Gott gegeben / oder noch geben wird / nach seinem Göttlichen willen / der heiligen Kirchen / vnd zu Königlichem Ehre / zu Ewer vnd Ewer getreuen Vnderthanen heil vnd wolfahrt erhalten vnd behalten köñet. Atque secundû has formulas in tota ferè juratur Germania; fatendum nihilominus tamen est, vix posse unam atq; generalem formulam omnibus satis aptari, quare consiliariis Principum, vel etiam ipsis Senatoribus id lubentius relinquo, cum, sicut dictum est, in hac parte consuetudo cujuslibet regionis observanda sit. An etiam scemina feudum

C



habens hoc juramentum præstet? Affirmat Schrad. in *tr. feud.* part. 6. c. 4. n. 10. quia lex sub appellatione masculini sexus, requirens ut Vasallus Investituram petat, etiam foeminam comprehendit, tum quia in iis casibus, in quibus foemina ad feudum habilis efficitur, censetur eo pacto ad feudum habilis effecta, ut feudum eâ conditione possideat, quâ illi, qui habiles feudi sunt, feudum possident, atque de feudo ea omnia præstat, quæ illi, qui per se feudi capaces sunt, de feudo præstare solent. *arg. l. Si quis filio exheredato 6. §. sed & d. injust. rupt. irrit. fact. testam. l. Si quando 35. in pr. C. d. inoffic. testam.* An autem quis per alium juramentum fidelitatis deponere possit, videndum est: Pro hoc autem militat c. 3. F. 2. nisi forsan, quod excipitur, dominus faciens investituram ipsum Vasallum videre malit, vel etiam nisi regionum consuetudo aliud exigat. Mihi perinde erit, utrum per se an per alium id fiat, dum tamen ad eum actum speciale monstratur mandatum, cujus pariter formulam dixisse non poenitebit. Ich N. N. als gevollmächtigter / gewalthaber des N. N. schwere vnd gelobe in N. N. gewissen vnd Seele / vor Gott dē Allmächtigen vnd den N. N. von den Schloßern vnd statt. N. N. vnd ihren zugehörigen getrew / gehorsamb vnd gewärtig zu sein / zu thun vnd zu dienen als solchs lehnrechts vnd gewohnheit ist / vnd einē getrewen Lehmann zustehet. Et hæc de juramento fidelitatis.

XIX.

Jurabit Vasallus, dominum quocunque modo, adversus omnes homines ipsorumque injuriam defendere, juvare & securum facere: solo excepto Imperatore vel Rege.

Generalitas hujus theseos non patitur dispensari, dum modò secundum genuinum sensum intelligitur, si quis enim ipsissimam quoque Vasalli personam indigitare vellet, contra nostram mentem ille ageret. Dum enim de omnibus promiscuè loquimur, tacitè demonstramus extraneos, nemo enim potest plus juris in alium transferre quàm ipse habet, *l. 54. ff. d. R. F.* Vasallus autem ipse membrorum suorum dominus non est. *l. 13. pr. ff. ad Leg. Aquil.* Persona loquentis tacitè semper excipitur. *l. 29. §. ult. ff. d. pign. & hypoth.* Excludimus etiam à nostra regula patriam

triam Vasalli, quam si dominus invadit, impunè à Vasallo potest occidi, juxta l. 35. ff. d. Relig. & sumpt. fun. In tali enim casu si filius patrem, filiumque pater occidit sine scelere, imò præmio adficiendum omnes constituerunt. Placet etiam hùc adducere quaestionem illam, quâ quaeritur, cujus sumptibus Vasallus domino servire debeat? Auff weissen kosten/ vnd wie ein Lehmann auff erfordern / die Lehndienste in oder auffer landes zu leisten schuldig/ vnd wie es zu halten? Ubi communiter distinguunt, an feudum sit opulentum, an verò non: Sin prius, Vasallus propriis sumptibus serviet, sin posterius domini sumptibus id fiat. Ego verò ad investituram potius currendum, indeque liti finem imponendum suaderem: Aut tunc ex tenore Investituræ apparet, aut non: Si prius, Vasallus sumptus, si posterius, dominus ferre cogitur, semper namq; bey erörterung der Lehnsstreitigkeit/ ist zuvorderst auff die Lehnbrieffe zu sehen / und auß dem inhalt derselben die decision oder beantwortung zu fassen / per l. 34. ff. d. R. J. Gail. 2. Obs. 50. n. 15. Mynsing. 5. obs. 76. Idem si dominus exeat patriâ, tunc enim suis sumptibus ducere debet Vasallum, sive pingue sit feudum, sive tenue, id quod etiam teste Schneidvv. de consuetudine hodiè observatur, daß der Herr seinen Lehnsleuten/wann sie bey ihm ankommen seynd/sutter/mahl vnd huffschlag gebe.

XIX.

Sicut jure Civili pacta dant legem contractibus, eosque informant, ita feudistico jure pactiones investituræ adjectæ valere possunt.

Quod ipsum tamen etiam cum grano salis accipiendum erit, neque enim de quovis pacto id intelligi volo, sed de illo duntaxat: quod contra substantiam feudi non est: sic ergo non valet pactum, ne fides præstetur; valet tamen, ne jusjurandum fidelitatis præstetur. Sic fieri solet, ut certum servitii genus à vasallo exhibeatur, utputà tempore belli mittere centum milites, sic certum servitii genus est stapedes tenere conscendèti equum, quod legimus etiam aliquando Imperatores Germanos exhibuisse Papæ Romano: Item ut Vasallus festivis diebus cum Uxore in Ecclesiam vadat. Sic Limnæus in jur. publ. refert ex Camdeno de Balduino aliquo, qui à Rege Angliæ terram tenuit



per Seriantiam, cum hoc onere, ut die natali domini singulis annis coram domino Rege faceret saltum suffletum & bumbulum, hoc est, saltaret, buccas cum sonitu inflaret, & ventris crepitum ederet. Sic pactum olim nescio quale habebant Canonici & Comites Lugdunenses, quod vocabant jus laxandæ coxæ aut connagii, hoc jus licentiam eis dabat pro recognitione Feudorum, primâ nocte concumbere cum Vasallorum sponsis: Mihi tamen si optio daretur, mallem ego vel de opulentissimo non investiri feudo, vel tali non coronari Actæonis diademate.

XX.

Haftenus de nova feudi investitura: Sequitur ejusdem renovatio, quam paucis attingendam putamus.

Sicut autem ipsa investitura est modus acquirendi, sic renovatio est acquisiti confirmatio: eodem autem ferè modo fit renovatio, quo ipsa investitura nova, nisi quòd interdum non juretur: investituræ renovandæ terminus præfigatur, annus nimirum & dies: sicut ex formula patet, quam Schneidvv. ex jur. Saxon. adducit p. 5. n. 6. & seq. Nach des Vattern Tod innerhalb Jahr vnd tag komme der Sohn zu seinem Herren / vnd biete ihm seine mannschafft an mit zusammen gelegten händen / sist der Herr / so soll er vor ihm knien / vnd mit zusammen behaltene händen sprechen: Herz / ich sinne an euch meines guts / daß ich mit recht habe an mich bracht / vnd biete euch darumb meine mannschafft an / zum ersten / zum andern / zum drittenmahl / vnd sese des euere männer hierumb zum zeugen: Atque toties hoc fieri necessum est, quoties vel antecessor Vasalli, vel hæres è vivis discedit. 2. F. 24. Est autem tempus illud computandum à scientia mortis, & lex illa de renovanda investitura hâc sanctione munita est, ut Vasallus negligens petere renovationem intra prædictum tempus privari possit, de quo tamen infra in modis Amittendi.

XXI.

Hæc de primo acquirendi modo: Sequitur secundus, qui est Successio, quâ occasione mortis per consuetudines feudales alicui feudum acquiritur.

Olim quidem huic modo nullus fuit locus, feuda enim erant recaria, & ut supra atigi, ad arbitrium domini revocabilia: Sicut



Sicut enim in precario non est æquum, ut quis diutius re meâ utatur, quàm ego velim, pariter in talibus feudis. Deinde ad vitam Vasalli Ususfructus instar duravere, postmodum temporis progressu successio in feudis cœpit obtinere, quæ initio fuit restricta ad filios, deinde per Lotharium ad nepotes & defunctos (modò paternum fuerit feudum) fratres producta: Porro ad agnatos non saltem septimum gradum, sed etiam in infinitum, *c. 1. F. 1. in §. Et quia vidimus.* Quod tamen de feudis, non verò feudastris, v.g. Guardia, Castaldia & Soldatæ intellectum volumus, hæc enim sunt personalia, imò personalissima: neque loquor de feudis Regalibus, quæ dignitatem Regalem habent annexam, ut sunt feuda Marchiæ, Ducatus, Comitatus, vel alius cujuscumque Regalis dignitatis, sed ille tantum ea habet, qui de his investitus est. *Rittershus. l. c. 13. quest. 1.*

XXII.

Postquam autem successionem fecimus secundum acquirendi modum, operæ etiam pretium erit enucleare personas, quæ in feudis succedere possint, vel non.

Volumus ergò omnium primò Successores esse masculos, atque etiam tales, qui ad præstanda servitia non sunt inhabiles. *c. 31. F. 2. c. Mutus. 36. F. 2.* Non enim videtur dominus feudum concessisse aliis, quàm investito ejusque descendentes, nec de aliis successoribus cogitasse, adeoque iis non extantibus ad dominum revertitur. Atque hoc ipsum in investitura solet exprimi, pro se & hæredibus suis, *für sich und seine Leibs- & Lehns Erben.* Hæc autem verba teste *Gail. 2. obs. 154. n. 20.* secundum consuetudinem Germaniæ intelliguntur de hæredibus masculis feudalibus, & feudum ita receptum non erit hæreditarium, sed antiquum ex pacto & providentia, velut etiam jure feudali verbum (hæres) intelligitur de liberis masculis & descendentes. Et in materia feudali hæredis vocabulum non significat qualitatem successionis, & hæreditatis, sed qualitatem successoris. *Treut. p. 2. disp. 12. thes. 1. sub lit. B.* Requiritur secundò habilitatem ad præstanda servitia, unde qui idoneus ad ea non est, ad feudi successionem non admittitur. *d. c. Mutus 36.*



F. 2. Inhabiles censentur vel naturâ, vel lege: Naturâ iterum vel ob defectum animi, vel corporis. Ob defectum animi repelluntur dementes & furiosi, qui ad omnes actus & contractus sunt inhabiles. *l. 40. ff. d. R. J.* id quod simpliciter & generaliter verum est, nihilque moramur distinctionem Doctorum, quâ observari volunt, an à natura vitium sit, an ex accidente, dictum namque *c. Mutus*, ad utrumque casum applicari, quis dubitat? Jure sive lege excluduntur Clerici. *C. si femina 30. F. 2.* quoniam Deo militans secularibus negotiis sese immiscere non debet. *C. miles 21. F. 2.*

XXIII.

Succedere non possunt ascendentes, adoptivi, cognati, illegitimè nati.

Tam in novo, quàm in antiquo feudo ascendentes succedere nequeunt. *C. 50. F. 2* Cur non in novo? ratio est, quòd in investitura non sunt, quæ regulariter solum investitum, & ex illo primogenitos respicit. Non in antiquo, quia regulariter fieri nequit, ascendentem ut patrem vel avum, descendenti cuidam, ut filio vel nepoti, inverso ita naturæ ordine, succedere. Feudum enim sive paternum, sive antiquum, semper defertur ab ascendentibus in descendentes. Quòd verò interdum pater succedit, non fit regulariter, v. g. quando pater in filii favorem feudum refutavit, ut is de eo investiretur, & filius sine liberis decedit. Secundò quando pacto ita prospectum, vel consuetudine receptum est. De quo vid. Schrad. *p. 7. c. 6. n. 3. & seqq.* Neque adoptivi succedunt *C. si de feudo 26. §. Adoptivus. F. 2.* Nam qui adoptatur filius familias quidem fit, sed non filius, si juridicè velimus loqui. Vox enim filii est naturæ: vox filii fam. est juris Civ. in filio est verus sanguis, in filio fam. sanguinis duntaxat fictio, sicut adoptio tantùm est imitatrix naturæ. *§. 4. Inst. de adopt.* longè autem aliud est, aliquid imitari, aliud, esse id ipsum de quo quæritur: Pictura Apellis, inquit Clariss. D. Doctor Brandmyllerus, Præceptor venerandus, in *dub. jurid. Diss. 2.* vel etiam Parrhasii potest imitari Apellem, vel Parrhasium, ergo est Apelles vel Parrhasius? in *Nov. 73. in pref.* Falsitas est veritatis imitatio, ergò falsitas est veritas? Nunc autem feuda dari solebant sanguini, non extra sanguinem: Ratio, quòd

quod adoptio jus sanguinis non afferat. *l. 23. ff. d. Adopt.* Cognatos etiam negamus posse succedere, nam per cognatos familiae non conservantur, nedum propagantur: deinde cum cognati descendant à foeminis, quæ à feudi successione sunt remotæ, non possunt admitti. Nemo enim plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet. *l. 54. ff. d. R. J.* Plus autem haberet successor, quàm mulier quæ antecessit. Rittershus. *c. 16. quæst. 1.* Rejicimus denique illegitimè natos, sive spurii sint, sive naturales, sive etiam incestuosi: De posterioribus his non est mirum: Qui enim in allodialibus succedere nequeunt, in multò minus in feudalibus succedent. Imò quibus alimenta à parentibus non sunt præstanda ex *Nov. 89.* iis multò magis successio in bonis feudalibus deneganda venit. Excludimus etiam spurios per *C. si de Feudo. 26. §. Naturales. F. 2.* Naturales autem spuriiis comparamus, qui vel idè succedere nequeunt, quod honesti in curia Domini comparere & stare non possint: Cum superioribus & nostris moribus, concubinatus illicita & inhonesta fieri cœperit consuetudo. Ludvv. in *Synops. c. 10.* Legitimus tamen postea an succedat à DD. agitur: Verùm quicquid distinguant inter legitimationem quæ, fit per rescriptum Principis, & quæ fit per subsequens matrimonium: in utraque ego simpliciter nego: omnis enim legitimatio introducit fictione, quâ tamen veritas tolli nequit. Vultej. *c. 9. n. 91.* Imò quilibet legitimatus similis est Alchimia, quæ facit apparere quod non est, similis etiam est homini medicato à morbo, in quo semper aliquæ remanent cicatrices. Mynsing. *14. obs. 31.* Fides in super spuriorum valdè est lubrica, utpote in quibus semper metuuntur paterni criminis exempla, arg. *l. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Maj.* apud multas etiam gentes pro nullis adèd habiti sunt, ut vix illis licuerit in honestorum virorù versari consortio: Qui mos apud Suecos olim, Gothos & Norvegos fuisse, per Johann. Magn. testatur Schönborn. *lib. 2. Polit. c. 10.* Nemo illegitimo toro natus, inquit Simlerus, in Helvetica gente publica obire potest munia, nemini licet senatui aut judiciis interesse. Quod ipsum etiam in Germanico nostro imperio receptum est, *N. A. d. Anno 1442. §. Von der heimlichen gerichtre wegen.* Atque inde fit, quod plerumque investituræ literis inseri soleat: *Leihen*



ben ihm und seinen ehlich gebornen Leibs-Lehns-Erben. Struv.
c. 9. d. success. in feud. const.

XXIV.

Tertius acquirendi modus est Præscriptio, quando quis rem aliquam tanquam feudalem per triginta annos possedit & servitia de ea præstitit.

In Usucapione quinque requirit Schneid. in Inst. d. Usucap. num. 13. quæ tribus comprehendit versibus:

*Non usucapies nisi sint tibi talia quinque,
Justa fides, justus titulus, res non vitiosa,
Quod res tradatur, tempus quoque continuetur.*

In præscriptione verò nostrâ tria sufficere putamus:

*Vt res feudalis pro feudo possideatur,
Continuos triginta piè possessa per annos
Sit, quoque servitium semper feudale repletum.*

Justum titulum omitto, qui in Usucapione desideratur, sive enim ille adfuerit, sive non, nihil interest, cum bona f. semper requiratur, quam & absque justo titulo esse posse constat: Deinde etiam jure Civ. vix desideratur, uti patet ex l. 3. C. d. præscript. XXX. vel XL. annorum. Est enim extraordinaria hæc præscriptio, adeoque titulum non requirit, d. l. 3. præsumitur tamen intervenisse, arg. l. 1. §. fin. l. ult. ff. d. Acquir. vel Am. poss. Non etiam simpliciter in feudo requiro possessionem, sed ut possideatur tanquam feudum, sic enim habet c. si de feudo. 26. §. si quis. F. 2. Si quis per triginta annos rem aliquam ut feudum possedit, & servitium domino exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest. Possessio autem non debet esse interrupta, Gothofr. ad d. §. si quis. lit. O. exemplo Usucapionis, in qua non sufficit justam esse possessionem, i. e. cum bona fide & justo titulo; sed requiritur insuper, ut sit continua & non interrupta, sive naturaliter, l. 5. ff. d. Usucap. sive civiliter, per litis contestationem, & securam condemnationem. l. 2. & 10. C. d. Præscript. long. temp. vid. Sutholt. diff. 6. aph. 27. Maximè etiam bona fides hîc attenditur, neque sufficit initio adesse, sicut in l. 48. §. 1. ff. d. A. R. D. Sub Innocentio tertio etiam in Concilio Latarenensi definitum est, ut sine continua & perpe-

tua

tua bona fide nulla currat præscriptio. *c. quoniam, ult. x. d. præscript.*
Sciendum prætereà est in materia præscriptionum & in foro &
in Camera Imperiali ita esse receptum: cum in præscriptionibus
tractetur de peccato, *d. c. fin.* Inque hanc sententiam non semel
esse judicatum testis est Mynsing. 4. *obs.* 6. ubi etiam videri pos-
sunt causæ allegatæ, in quibus ita pronunciatum est. Utcunque
tamen sit, temperandam illam sententiam censet Clariss. Doctor
Brandmyll. fideliss. præceptor, *in manu duct. ad jus Civ. & Can.*
sub vocabulo Præscriptionis, ut procedat eo casu, quo manifestè
de mala fide constat, à cuius etiam beneplacito vel latum un-
guem recedere, maxima mihi religio esset. Quòd verò triginta
annos & quidem continuos requiramus, ejus rationem reddit
Hotom. *ad d. §. Si quis per 30.* asserens, quòd possessio triginta an-
norum apud Longobardos usitata fuerit in præscriptionibus. In
rebus publicis etiam idem, eundemque annorum numerum sta-
tuo, eundem in Ecclesiasticis: Ubi enim textus non distinguit,
ibi nec nos distinguere debemus. *l. 8. ff. d. Publ. in rem act.* Anni
debent esse completi, nec sufficit ultimus annus cœptus: Parùm
ergò movet, quòd 40. annos Doctorum turba & ipsissimi textus
postulent, nostram enim tuemur sententiam hoc fundamento,
à præscriptione illarum rerum publicarum vel Ecclesiasticarum,
ubi agitur de acquisitione domini directi, quæque requirit 40.
annos, ad præscriptionem juris feudalis in rebus publicis vel
Ecclesiasticis, in qua sufficiunt triginta, argumentum non est
validum. Atque hanc legem non à Longobardis tantùm, sed
toto jure Gentium voluntario esse inductam, probat Magnus
ille Hugo Grotius *lib. 2. c. 4. num. 9.* Ut possessio memoriam
excedens, (non igitur interrupta, nec provocatione ad arbitrum
interpellata) omninò dominium transferret. Consensisse Gen-
tes enim in id credibile est, cum ad Pacem communem vel ma-
ximè id interesset. Meritò autem dixi possessionem non inter-
ruptam, i. e. ut Sulpitius apud Livium loquitur, *uno & perpetuo*
juris tenore semper usurpato, nunquam intermisso. Idem & alibi dixit:
Perpetuam possessionem ac nullo ambigente. Nam desultoria
possessio nihil efficit, quomodo Numidæ excipiebant adversus
Carthaginenses: *Per opportunitates, nunc illos, nunc Reges Numida-*
rum usurpasse jus, semperq; penes eum possessionem fuisse, qui plus armis po-

D

tuisset. Requiritur tertio Servitii præstatio, quòd Vasallus ad re-
quisitionem domini præstiterit servitia, de illa re feudali: Nec
tamen opus est, quòd omni anno servierit, sed tunc, quando re-
quisitus est à domino, unde sufficit servitia semel esse præstita, si
postea triginta anni sequantur, *d. §. Si quis.* Sic etiam Dominus
libertatem contra Vasallum, & Vasallus contra dominum suum
dominium directum præscribere potest. Dominus si possessio-
nem rei feudalis adeptus sit, eamque per continuos triginta an-
nos sine contradictione Vasalli & agnatorum obtinuerit, Vasal-
lus, si per triginta annos domino tacenti, qui tamen iis necessa-
riò egebat, servitia non præstitit. *arg. l. 1. & 2. C. d. long. temp.
prescr.*

XXV.

Præter dictos modos agnoscimus nullos, qui enim
plures faciunt, ad hos sciant omninò posse referri, qui
pauciores: ii confundunt cum constituendi modis,
modos acquirendi.

Inter illos, qui plures faciunt modos, Hotom. primas tenet:
Sex enim ille vult esse: Donationem, Emptionem, Permutatio-
nem, Successionem, Præscriptionem, Inductionem in possessio-
nem. Quibus ab aliis adhuc adduntur 1. Per vim bellicam.
2. Per legatum in testamento. 3. Per divisionem hereditatis:
Alius adhuc à Mozz. *C. d. Substant. s. Requis. num. 32.* proponitur
modus: quando nimirum agnatus ex culpâ privatur feudo;
Verùm si ex his omnibus & singulis peculiare facturi essemus
modos, plures forent, quàm qui numerari possent: Cur enim,
posito dicto, Mors inter modos acquirendi meritò non poneretur?
Cur non delictum? cùm tamen Mors propriè non sit mo-
dus acquirendi vel constituendi, sed potiùs dissolvendi, imò
constitutionem per testamentum mors demùm sequitur. Deli-
ctum etiam nec acquirendi modus neque constituendi rectè di-
citur: Cùm tantummodò sit occasio illa, quâ aliquid constitui-
tur, sicut sententia judicis modus acquirendi feudum non est,
sed tantum juris jam constituti declaratio. Tantum de modis
Acquirendi.

XXVI. Or.

Ordinis Instituti ratio postulat, ut deinceps quibus ex causis feudum amittatur, consideremus: Amittitur autem vel culpâ Domini, vel Vasalli: loquar autem prius de culpâ Vasalli, quæ consistit in committendo vel in omittendo.

Sciendum est hîc, nos pro Synonymis habere culpam & dolum, non adhibitâ illâ differentiâ, quâ juris Civ. interpretes volunt, dolum sceleris, culpam verò imprudentiæ esse tribuendam. Calvin. in *Lexic. Jurid. verb. Culpa*. In cujus decisione non anxie laboro, sed utor termino, juri feudistico satis noto, & convenienti, qui vulgò vocatur *Felonia*. Verbum autem felonix barbarum vocat Rosenth. C. 10. c. 1. in pr. Idè quòd à Gothis & Longobardis originem trahat, quibus idem olim significavit, quod nobis hodiè etine *Schelmerey* Latinis, *Scelus*. Nescio tamen ego, quem pudere possit uti verbo felonix, quod, quamquam latinum non est, proprium tamen juris feudistici est. Timerem herclè cum Dn. Antonio Matthæo, ne, dum nimis affectarem Latinitatem, pro perspicuis obscura verba usurpâsse viderer. Felonia descendere putatur à Germanico verbo *Sehlen* / sive *fehl*, quod Latinis est delictum sive peccatum, Ludvv. in *Synops. Feud. c. 16*. Sicut ex *Morgengab*, quod significat munus matutinum, Morganaticam fecerunt Feudistæ. Rittershus. lib. 1. c. 1. *quest. 3*. Sic quoque Fodrum descendit à Germanico verbo *Sutter* / quod in Cauponis in Germania passim pro pabulo equorum usurpatur. *d. verb. Feudi vocabulo Fodrum*. Per feloniam autem intelligimus omnem causam amissione dignam, in dominum vel etiam alium commissam, ingratitude, delictum, mores feudorum, nonnulli etiam noxam, offensam, offensionem nuncupant. Atq; sufficit, unam solam ex his causis amissionis à Vasallo esse perpetratam, ad hoc, ut privari possit, quod eadem jura & auctoritates apud quamlibet allegandæ etiam præsupponunt, delinquere enim est de genere prohibitorum. Ampliat etiam hanc conclusionem Rosenth. *d. l.* ut procedat, etiamsi dominus sit Laicus, Vasallus verò Pontifex Romanus, etiamsi Vasallus sit Imperator, dominus verò aliquis

inferior Dux vel comes. Pœna enim vel feloniam remittenda, vel saltem mitiganda propter excellentiam virtutis vel scientiæ non est, licet legibus Civilibus cautum sit, pœnam capitalem propter excellentiam virtutis vel scientiæ mitigari posse. Modestinus in *l. 31. ff. de Pœn.* Aliud tamen obtinet in pœna privationis feudi: Hoc enim nullâ lege cautum reperitur. Et feuda de novo iterum conceduntur hominibus, virtute & meritis excellentibus. Schrad. *Tr. 2. part. 9. Sect. 14. n. 58.*

XXVII.

Cùm tamen causas amissionis non liceat certo numero comprehendere, & natura semper novas deproperet edere formas, magis præcipuas adducere conabimur: Et primò eas tuebimur, quæ principaliter personam domini respiciunt.

Sine enim justa causa feuda semel legitimè constituta & acquisita, Vasallo non possunt rursus eripi à Domino, quod enim initio est voluntarium, ex postfacto fit necessarium. *l. 5. C. d. Obl. & Act.* Videmus autem, notabilem hîc occurrere differentiam inter Dominum & Vasallum, Dominus non potest Vasallum invitum sine causa expellere & feudo exuere, Vasallus autem si non amplius libeat feudum retinere, & domino servire, potest id refutare, seu resignare domino. Ratio est, quòd privatio tendat in præjudicium Vasalli, refutatio verò in præjudicium domini, si modò tempestivè fit, non tendit. Tum enim feudum ad proprietatem revertitur, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit habere plenam in re potestatem, ut de Usufructu cui feudum non est ab simile, loquitur Paulus in *l. 46. ff. d. Usufr.* Tenendum etiam præcipuè est, quòd Vasallus ob quodvis capitale facinus feudo multetur: sic tamen ut causa priùs parium iudicio disceptetur, & si Regium feudum sit, Imperator ipse iudicium exercebit: Sin secundi ordinis sit, Patronus: A quo tamen ad Imperatorem appellandi jus est. Si inferius, dum vel Parium, vel missi Imperatorii iudicio, causa sine provocatione dirimetur Hotom. *disp. Feud. c. 41.*

XXVIII.

Vasallus fata domini vel veneno vel gladio properaturus, beneficium suum amittit meritò.

C. 26. F. 20.

C. 24. S. 2. Vers. porrò. Atque hoc omnibus juribus con-
veniens est, nam ut taceam nemini uspiam licere alterius vitæ
insidiari, neminem debere lædi, geminum insuper præ se fert
pietatis vinculum, quod vel consistit in persona domini, quæ
præ reliquis debet Vasallo honesta esse & sancta. l. 9. ff. d. Obseq.
Par. & patr. prest. vel etiam in juramento fidelitatis, quod domi-
no præstitit, in quo promisit *incolume*, hoc est, se nolle unquam
esse in damno domino suo in corpore, c. 6. lib. 2. F. Ob conatum
pariter feudo ipsum privandum puto, sicut enim jure Romano,
teste Cic. in orat. Milonian. ita fuit comparatū, ut consilium de-
linquendi æquè ut delictum ipsum puniretur. Neq; hoc mirum
est, in maleficiis enim voluntas non exitus spectatur, l. 14. ff. ad
L. Corn. d. Sicar. Inde qui hominem occidit, aliquando absolvi-
tur, & qui hominem non occidit, aliquando damnatur. Consi-
lium enim cujusque, non factum puniendum est. Sic in Maje-
statis crimine pari pœnâ voluntas punitur sceleris, sicut etiam
punitur effectus, l. 5. C. ad L. Jul. Maj. Sic Monialem de matri-
monio sollicitans capite plectitur, l. 5. C. d. Episc. & Cler. Sic
qui venenum emit ut patri daret, quamvis id non dare po-
tuerit, damnatur, l. 1. in fin. ff. ad L. Pompej. d. Parricid. Et

— *Ne quis fore credat. inultum.*

*Quicquid in augustos ausus committere Reges:
Vel meditatuserit.* — —

Rittersh. 2. c. 5. quest. 5. Aliud tamen est, si dominum tan-
tūm voluerit offendere, nec tamen ad actum aliquem extraor-
dinarium processerit, sive ut Feudista loquitur, laboraverit
quidem, sive ad actum aliquem exteriorem devenerit, insidia-
tus tamen non fuerit, sed pœnitentiâ ductus, destiterit, & ad
effectum non deduxerit. d. S. Si voluerit. Damus autem pœni-
tentiæ locum, si delictum nondum sit consummatum, secus si per-
fectum jam sit. l. 15. S. 1. ff. d. injur. Pœnitentiæ deinde locum
concedo, si proprio & spontaneo motu desistat Vasallus, non
verò si cogitur ab aliis hoc facere: Excuso etiam Vasallum in
defensione sui ipsius, vim enim vi repellere, omnes leges, o-
mniaq; jura permittunt non solūm, sed etiā jubent, imò & jure
hoc evenit, ut quod quis ob tutelam, corporis sui fecerit, jure:



id fecisse dicatur. l. 3. ff. d. just. & jur. valetque Ovidianum hic
Armaq; in armatos sumere jura sinunt.

Defensionem autem hanc vocamus moderamen inculpatæ
tutelæ, patriâ linguâ, Eine Nothwehr. C. I. C. undè vi.

XXIX.

Vasallus graves injurias inferens domino, sive rea-
les, sive verbales, feudum amittit.

D. c. prima. S. 2. vers. Porro. Quod autem Feudistis dicitur
gravis injuria, id juris Civ. Interpretibus est injuria atrox: quæ
autem & qualis illa sit, constat ex *S. Atrox. 9. Inst. d. Injur.* requi-
sita atrocis injuriæ hoc versiculo sunt inclusa, quem addidisse
non pœnitebit

His tribus ex causis injuria dicitur atrox,

Facti, personæ, vel ratione loci.

Ex facto, si quis ab aliquo vulneratus, fustibus cæsus, vel os ali-
cui percussum sit. Ex loco, veluti si cui in theatro, foro, vel con-
spectu Prætoris injuria illata sit. Tempore, si fortè festivis die-
bus fiat. l. 7. S. fin. ff. d. injur. vel interdium, obliviscitur Vasal-
lus officii sui, dum dominum excipit, verbali aliquâ injuriâ, se
enim honestè dominum habiturum paulò antè jurârat. Adeo-
que dum talem exercet perfidiæ actum, ipsum meritò re feu-
dali defraudandum censeo.

XXX.

Vasallus contrahens cum inimicis domini amici-
tias: Dominum de crimine capitali accusans, meritò
suum sibi perdit beneficium.

Non tamen sufficit amicitias contraxisse, sed oportet ut
domino præjudicent. Quas tamen ego mallem conjurationes,
sive conspirationes cum inimicis, quàm amicitias vocare; atq;
quoniam controversia inter Dominum & Vasallum de amici-
tia, contracta sub illo modo sive conditione domino nocendi in-
cidit, quæri solet, utrum domino incumbat probatio, an Vasal-
lo? Verùm cum Vultej. c. 9. n. 35. & Ludvv. in *Synops. feud. c. 16.* re-
spondemus, incumbere domino, quia amicitia copulatio non
est de rebus naturâ suâ prohibitis. Imò amicus is demũ dicitur,
cum quo

cum quo est summa familiaritatis honestæ notitia, quâ eum quis ut familiarem, ut suum habet: Et ut Cicero in *Lalio*, Amicitia, inquit, est omnium divinarum humanarumq; rerum, cum benevolentia & charitate summa consensio. Amicitiam ergo tam strictè non veto, veto tam è sub amissionis pœna perversam conpirationem. Vasallus etiam beneficium suum perdit dominum accusando: Atque ob hanc etiam filius exheredari potest. Nov. 115. Item si testimonium in causa criminali contra dominum dicit, c. *Sciendum*. 33. §. 1. *Vers. Similiter*. si per substitutum dominum accusaverit, vel advocacionem administraverit. Quæ tamen & quales exceptiones inveniantur, colligi potest ex Vultej. c. 11. n. 27. Ludvv. in *Synops. feud.* c. 16. Rosenth. c. 10. n. 35.

XXXI.

Vasallus iudex in magna graviq; causa contra dominum pronuncians: Arcana domini, dolo malo revelans, optimo jure feudalibus bonis emungitur.

Probat autem in tali iudicio suam contra dominum affectionem, facitq; spem, qualem se velit in periculosioribus gerere. Non autem sufficit, si dominus eum injustè judicasse dicat, verùm ex causa appellationis illud demum experiendum est, atque non solum propter malitiam, quam in dominum exercuit, sed etiam maximè propter denegatam justitiam meritò incurrit indignationem feudi, neque imperitiâ postmodum se tueri poterit, cum peritiores consulere potuisset. Mozz. *Quib. ex caus. Feud. amitt. num.* 34. Causa privationis non minima etiam est credentiarum revelatio, scienter facta. c. *Si capitanei*. 17. F. I. Sicut tamen in præcedentibus non simplicem desideravimus amicitiam, sed eam, quæ cum malitia est conjuncta, sic etiam non simplex hîc sufficit manifestatio, sed debent cum effectu sumi illa verba. Ut ergo æquè Vasallus feudo cadat, tria requirunt. 1. ipsam manifestationem. 2. ut fiat animo damnificandi. 3. ut ex ipsa manifestatione damnum sit secutum. Inde etiam concludunt, quòd si Vasallus manifestasset credentiam domini, sed non animo damnificandi, licet subsecutum sit damnum, non propterea perdat feudum, v. g. Vasallus laudaret dominum de eo, quod



eo, quod intendebat facere, & hoc modo expressit secretum, quod dixerat dominus: Licet malè fecerit, non tamen privatur feudo, quia voluntas & propositum distinguunt maleficia, supra d. l. qui injuria in pr. ff. d. Furt. Verùm vix adducor ut huic sententiæ subscribam: Esset enim factum, quo proderet crassam suam & supinam ignorantiam, quâ certè se excusare non poterit, cum nosse debuisset, credentiam nulli mortalium esse manifestandam: Paria autem in jure sunt: *Scire & scire debere*, Gail. 2. obs. 48. num. 15. Studebit ergò Vasallus taciturnitati, cautumque se ac circumspèctum semper præbebit, ne se in periculum futilitate suâ conjiciat, respondebit interrogantibus ex Horat. lib. 1. ad Mæcenat.

Olim quod vulpes agrotò cauta Leoni

Respondit, referam, quia me vestigia terrent.

Aliter autem si fecerit, perjurus optimo jure dicendus erit: Inter alia enim in jure jurando etiam defert, quòd velit esse non solum fidelis, verùm quod sub nomine fidelitatis ei committeretur, aliis in detrimentum domini scienter nullo modo pandere: Et subsequenter in c. 7. §. 2. Et si aliquid mihi de Secreto manifestaveris, illud sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur faciam. Sciat iterum ex Horat. Satyrâ 4. lib. 1.

Fingere qui non visa potest, commissata cere

Qui nequit hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Et quid mirum, propter hoc delictum Vasallum privari feudo? Cùm in militibus privatis extra ordinem puniatur, exploratores qui secreta nuntiaverunt hostibus, proditores sunt & capitis poenam luunt. l. 6. §. 4. ff. d. re mil. Apud Turcas furcâ plerumque suspenduntur: Quod ipsum etiam in Const. Carol. sancitum est, art. 124. von Straff der Verrähteren.

XXXII.

Vasallus domino abnegans feudum, contra ipsum famosam actionem instituens, feudo cadit.

Inficiatio enim vel abnegatio ad contumeliam domini maximè spectat, insuper dolus in Vasallo deprehenditur, qui tamen abesse debet: Deinde abnegatio talis, notorium est ingratitude cujusdam signum, adeoque ad amissionem sufficiens:



ciens : Peccat enim contra omnia jura, quibus cautum est, ne quis cum alterius detrimento fiat locupletior. l. 206. ff. d. R. J. Et quibus nemini invito jus suum auferri debet. Postponit respectum & reverentiam, quam personæ domini debet. Tollit omnem fidelitatem & obedientiam, quâ aliàs domino erat obstrictus, violatque tertium juris præceptum, suum cuique tribuere. Si verò post inficiationem, pœnitentiâ forsan ductus, sese domino iterum submittat, paratus, feudum secundum voluntatem domini recognoscere, hanc suam contumaciam, secundum vulgarem Doctorem opinionem, poterit purgare, hâc tamen conditione, ut omnes litis impensas refundat, & ita damnum & injuriam resarciat. De famosa actione, in qua maximè etiam autoritas domini floccipenditur, facta est mentio in thesi ubi de accusatione locutus sum.

XXXIII.

Vasallus omittendo peccat, si nimirum destinato tempore, quod est annus & dies, renovationem non petierit, Dominum vel in acie, vel alio prælio periclitantem reliquerit, ipsumque suo vel facto, vel consilio, vel auxilio imminentis periculi, vel damni, certiozem non reddiderit.

De priori dixisse sufficiat, in thes. XX. cui adhuc addere libet versus, ex Gunth. lib. 8. in quibus luculenter satis res tota comprehenditur.

*Successor feudi totum si forte per annum,
Atque diem facti primæ jam tempore pubis
Sive dolo, seu desidiâ, seu mente superbâ
Spreverit à domino feudalia poscere jura,
Desinat, & dominus proprios adsumat in usus.*

quanquam ego hos sequi malim, qui, quòd erga clientes potius fervanda sit æquitas, quàm juris rigor, nec cum feudatariis tanquam cum infestis, sed benignè sit agendum, statuunt. Huic autem regulæ exceptiones submitto sequentes: Si forsan capitales inimiciatæ intervenerint: Si dominus postmodum servitia receperit: Si probabilis ignorantia pro Vasallo militaverit,

E

v. g. si rem suam feudalem pro allodiali haberet, &c. quas tamen omnes tam stricto ordine recensere, hujus loci non arbitror, vid. Rittershus. 2. c. 5. *quest.* 41. Quicumque etiam dominum suum, cum quo ad prælium iverat, in acie periclitantem reliquerit, beneficio se indignum judicat. Præterea si Vasallus præscierit aliquem contra dominum suum assaultum, vel mortem, vel captionem, aut patrimonii grandem jacturam facere molientem, debet dominum, quamprimùm poterit, certiorare, ut deinde dominus sciens prudensq; periculum valeat declinare. Quod si non fecerit, doloque vel fraude celaverit, beneficio se cariturum agnoscat, *c. prima. 24. §. Item. 2. F. 2.* Si enim unquam fidelitate Vasalli dominus opus haberet, in prælio certè sive acie erit, ubi non forsan de tritico aut oleo legato, sed de domini fortuna, regione & capite agitur, in quibus defendendis semper anxius esto. Vasallus interim Oedipo hic non est opus, qui quæcûq; ad terminos habiles astringeret: quis enim dubitaret, si Vasallo manus abscinderentur, vel corpus adeò vulneraretur, ut ad auxilium ferendum amplius esset inhabilis, illum privari feudo?

XXXIV.

Vasallus dominum captum ab hostibus redimere negligens: Debita servitia non præstans, feudo privandus erit.

Si uniè parentibus in captivitate detineri contigerit, ejusque liberi sive omnes, sive unus, nõ festinaverint eum redimere, siquidem valuerit calamitatem captivitatis evadere, in ejus sit potestate, utrum hanc causam ingratitude testimonio adscribere velit. *Nov. 115. c. 3.* id quod in liberis notatur, & puniuntur tales exheredationis poenâ, argumentum autem ab exheredatione, ad privationem feudi, utiq; valet. *c. prima 24. §. 2. F. 2.* Diximus etiam Vasallum servitia debita negantem, feudo esse privandum: Ratio est, quòd hoc beneficium datum sit propter officium, cessante verò causâ, quæ in præstandis servitiis consistit, meritò etiam cessat effectus. Sic olim inter Imperatores moris erat, ut feuda concederent eam ob causam, quando nimirum Romam pergerent ad accipiendam coronam, ut plurimos.



plurimos haberent comites ac socios expeditionum, præsertim
 hujus Romanæ, quæ vocabatur *der Rõmerzug*. Eum in finem
 solebant jam superatis alpibus, priusquam rectà pergerent Ro-
 mam, Roncaliis convenire & castra ibidem locare, inque iis
 aliquot dierum conventus agere, & cum Principibus Imperii
 de jure ac legibus, de bello & pace, deque omni re publica deli-
 berare ac decernere. Roncaliæ verò dicebantur, aliàs Padum,
 quod non longè à Placentia distabat, castra faciebant loco aut
 naturâ plano, aut si inæqualis esset, manu atque opere compla-
 nato, vallum in orbem aut in quadrum ducebatur. Fabrorum,
 opificum ac mercatorum turba ad usus necessarios sequens,
 exercitum cum suis tentoriis & tabernis, si quadrata erant, ca-
 stra suburbiorum, si rotunda, muri exterioris speciem afferebat.
 In medio Regis tabernaculum locabatur, templo simillimum,
 circaque Principes, ut quisque dignitate præstabat, tentoria
 sua figebant. His castris locatis Rex ad stipitem præaltum
 scutum suspendebat, eoque omnes feuda habentes, ad excu-
 bias Regi ex instituto agendos, per præconem publicum evo-
 cabat, eademque ratione, qui in comitatu ejus Principes erant,
 singuli singulos sibi Valvasores citabant, postridie, qui non af-
 fuisset, feudo mulctabatur, sive Clerici essent sive Laici. *Gunther.*
initio lib. 2. Sigon. lib. 7. an. 973. Thom. Franz. in disp. d. Feudor.
orig. habita Witteberga, thes. 29. Sic Episcopus Bremensis nec
 non Halberstadenſis, ex tali nota sua amisisse Regalia, quod ni-
 mirum Friderico I. expeditionem suscipienti in Italiam de-
 fuissent, testatur *d. Gunth. lib. 8.*

XXXV.

Generaliter statuo, Vasallum posse ex omnibus iis
 causis à Domino privari, ex quibus filii à patre possunt
 exheredari.

Quales autem illæ sint, ex *Nov. 115. c. 3.* abundè patet, quæ
 quasi commentario poterit illustrari, si conferas paraphrasin
 metricam Schotan. *ad tit. Inst. de exhered. lib.*

Bis septem ex causis { *feudo Vasallus abibit,*
exheres filius esto,
Si patrem feriat, vel maledicat ei.



Carcere conclusum si negligat, aut furiosum,

Criminis accuset, vel paret insidias.

Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,

Testari vè vetet, se societ vè malis.

Si sequitur mimos, { Domini vitiet vè cubile,
{ Vitiet vè cubile paternum,

Non orthodoxus, filia si meretrix.

Facit etiam hùc, quòd privatio à multis vocetur exhereditatio, videlicet propter similitudinem, quod Cujac. observavit *ad tit. 2. lib. 1. F. Feudi*, inquit, ereptio exhereditatio est: sicut etiam hoc utrobique rectissimè inculcat, causas removendi & abdicandi Vasalli relinqui disceptandas iudicio parium curiæ, seu convasallorum: Proindeque non certas neque legitimas, sed arbitrias esse, perinde ut olim ante Justinianum causæ exheredationis erant in certo arbitrio positæ centum virorum, qui de inofficiosi querela cognoscebant, Rittershus. *ad tit. de inoffic. testam.* Num autem hodiè similibus, vel majoribus de causis, quam sunt expositæ in *d. Nov.* exhereditatio fieri possit? hanc litem nunc nostram non facimus, & sufficit indicasse, exheredationem legitimam testamento inferi, & postmodum ab hærede probari oportere.

XXXVI.

Denique etiam contumaciam non minimum amissionis modum statuo. *c. 22. F. 2.*

Contumaciæ autem appellatione intelligo omnem contemptum, fastum & superbiam, quibus Vasallus Dominum graviter offendere potest: Per Contumaciam, quæ non solum in non veniendo, sed etiam tacitè consistit in spernendo jurisdictionem Domini: Idem enim est ac si expressè diceret, *se nolle comparere.* Rosenthal. *c. 10. concl. 26. n. 31.* Talis quondam contumacia in Ottocaro Bohemiæ Rege deprehendebatur, hic enim, cum propter imperii nomen subjiceretur Rudolpho Imperatori, Rudolphus verò juberet, ut secum fidei atque obedientiæ sacramento adigeretur, imperium ejus neglexit. Rudolphus tale contumaciæ genus vindicaturus, armatus veniebat, Ottocarus quidem illicò vitium purgavit, & Rudolphi petito satisfacit,
ita ta-

ira tamen ut postmodum arma iterum contra Rudolphum ceperit, victoque, omnia jura Feudalia amiserit. De quibus vid. Dilan. in medull. hist. part. 2.

XXXVII.

Hactenus verba de iis tantum fecimus, quæ directò lædunt Dominum, proximum nunc est, ut ea quoque spectemus, quæ consequenter dominum respiciunt. Inter hæc primum locum sibi vindicat, si dominum Vasallus cucurbitaverit, sive cum uxore ejus concubuerit.

C. Quia. §. F. I. primò enim honestatem lædit, adeoque unam ex clausulis jurisjurandi fidelitatis, facitque ut deinceps non possit honestè stare in curia Domini, eique administrare, deinde non arbitror Domino marito gravius quicquam accidere posse, imò quamvis ipsa esset mors. l. 8. §. 2. ff. Quod met. caus. Non enim è Domino faciemus Candaulem, qui Gygen Dascyli filium amicum acceptum ita peramabat, ut eum secundum fores cubiculi sui, in quo cubarent ambo, collocaret, nulla alia de causa, quam ut uxoris suæ corporis elegantiam spectaret, cui tamen quam benè cesserit sua erga Gygen liberalitas, vid. in Herod. lib. 1. p. 2. Sciat Vasallus Dominum nolle uti moribus Garamantium, Massagetarum, Thyrenorum vel Arabum, qui uxoribus communibus sine ullo Zelotypiæ genere sunt usi. Tiraquell. 7. ll. connub. num. 53. Debet non solum in præsentia, verum etiam in absentia Domini studere castitati, neque hodiè valet Ovidianum istud:

*Dum Menelaus abest Helene ne sola jaceret,
Hospitis est tepido nocte recepta sinu.*

Sic Scythæ à Medorum pugna revertentes, videbant servos maritali munere interim fuisse functos, ideoq; etiam extraordinariâ pœnâ eos excipiebant, uti vid. in d. Herod. lib. 4. in pr. Non modò autem actualem cum uxore Domini concubitum Vasallo interdiciamus, sed etiam quamcunque occasionem, quæ suspectum ipsum reddere potest, cui annuero turpem ludum, velut si manum in sinum, ad pectora, vel alia etiam periculosa loca miserit, quoniam:

— — *Ludi quoq; semina præbent*
Nequitia. —

Ovidius *libr. Trist. ad August. & alius*

Corrumpunt malè dicta animum moresq; verendos,
In veros sensus sapè abière joci.

Lascivos igitur sensus lascivaq; verba,
Pignoribus nostris ritè cavenda vide.

Et quid mirum in Vasallo, si Plutarcho creditur, jam tum Romuli legibus comprehendebatur ut, qui lascivè coram fœminis vel etiam obscœni quicquam in earum præsentia loqueretur, tanquam homicida puniretur. Et Arist. *lib. Polit. 7. c. 17.* Omnino, *inquit,* obscœnitas verborum, si quicquam aliud per legislatorem exterminanda est de civitate, ex turpiter enim loquendi licentiâ, sequitur etiam turpe facere. Eruditè dixit, quisquis etiam dixerit, *ἡπὲρ κκαυμὸν ἐπιθυμίας λόγῳ ἐρωτικῶς:* Sermo lascivus sive amatorius, libidinis est fomentum, qualis est, quem Rittershus. ex veter. Epigram. Apologia citat: *Beatus est qui te aspicit: at ter beatus si audiat: semi-Deus dato osculo: Deus dato usu corporis.* Prohibemus etiam vasallo oscula præbere uxori Domini, est enim talis præsumptio, omni præsumptione major, Brunnem. ad l. 2. C. d. *Rescind. Vend.* Et secundum veterum fidem, pudicitia mulieris osculo delibatur. *Bes. num. 57. lit. k.* Neque distinguimus hîc inter Clericum & Laicum, cum in utroque par sit præsumptio, imò & Clericorum accessus ad mulieres æquè suspectus ac punibilis sit, quàm Laicorum. *l. 19. C. de Episc. & Cler.* cui tamen obstare videtur, *c. absit. II. Quæst. 3.* in quo Clerici non libidinis, sed benedictionis imprimendæ causâ osculari præsumuntur: Sed vah devotæ benedictionis! cum pessimus nunquam excogitari potuisset prætextus, quàm ille benedictionis: Re verà reor minùs omnino in hac parte credendum esse Clericis, quàm Laicis, quibus liberior ad gynæceum aditus patet: atq; idem moderni mores, & experientia magistra, abundè satis docuerunt. Frivolam eam appellat, futilemque limitationem Clariss. Dn. Brandmyllerus, nullâ certè injuriâ *in manu duct. p. 265.* Clerico, *inquit,* communis non solùm cum Laico est natura, sed etiam insuper in secretiori loco cum muliere deprehensus, ob malè servatam fidem tantùm

tantum fidei hodie, ut olim non habet, nec solus cum muliere sola in angulo Angelus, nec magis orare pater noster, quam ille qui sacrilegium committit, præsumitur.

XXXVIII.

Eadem ratio quoad stuprum militat in matre domini, eadem in filiâ, nepte nuru, sorore, omnibusque quæ domini potestati, ejusque affectui sunt adjunctæ.

Par quoque injuria erit, si Vasallus matrem domini stupraverit, secundum textum *cap. Est & alia. in fin. princ. ibi.* Tuam vel Tuorum injuriam. & *d. Nov. form. fidel. 7. F. 2.* Eadem enim reverentia competit matri, quæ etiam competit uxori. *Nov. 105. c. 2. in pr.* Et quid multis, propter sororem, uti jam defendere conabor, stupratam Vasallus privatur, ecur non multo magis propter matrem, siquidem semper arctior est inter matrem, quam inter fratrem vel sororem necessitudo, & proinde gravior quoque injuria redundat in dominum ex constupratione matris, quam sororis, à Vasallo perpetrata. De vidua verò domini controversiam movent, an quis privari possit ob stuprum illi illatum? Rittershus. distinguit inter eam, quæ manet in statu viduitatis, & inter eam, quæ ad secundâ vota transit, posteriori casu feudum non amittitur. Tunc enim non amplius dici potest injuriâ affecisse priorem maritum, aut memoriam ejus læsisse, quam ipsa mulier abolevit, & læsit iterum nubendo. Mihi eorum opinio magis arridet, qui distinguunt, an Vasallus intra tempus luctus vitium obtulerit viduæ domini, an non? Priori casu amittit beneficium, quia præsumptio vincet, habuisse scilicet quoque rem cum uxore, vivente domino, adeoque nec caret suspitione adulterii. *Just. in. Nov. 39. c. 2. vers. si enim.* Posteriori non: Rittershus. 2. c. 5. *quest. 103.* De sorore Domini & filia idem sentio, dum tamen utraque adhuc in capillo sit, iis exceptis, quæ de osculo sunt prolata in uxore, illud enim neque filiæ, neque sorori tanquam puellis applicare possum, neque eadem in iis ratio militat, quæ in uxoribus, à quibus talis res modernis moribus suspecta videri cœpit, uti in antecedentibus probavi: Puellas namque osculari non est de genere prohibitorum, quæ enim quæso osculando unquam
facta



facta est impudicior, quæ inhonestior? Atqui si illicita dici posset hæc consuetudo, ab antiquis non ita accuratè fuisset observata, ut etiam Tiberius Cæsar teste Suetonio ei derogare vix potuerit, inveteratus enim mos ille lege prævalebat, cujus testimonium extat apud Martialem:

Bruma est & riget horridus December,

Aude tu tamen osculo nivali

Omnes obvios hinc & hinc severè

Et totam Line basiare Romam.

Lib. 7. Epigram. ad Linum 94. Et quid circa antiquitatem occupor? Dicam paulisper de Anglis, de Belgis, item Frisiis, qui non saltem, ut Romæ, cognatos, sed quoscunq; promiscuè salutant, & resalutant, idque prioribus, ut dici solet, labiis, tam decentissimè quàm honestissimè. Qui verò nihilominus in osculando indecentiam aliquam vel turpitudinem rimantur, illi audiant iudicium Pisistrati Atheniensium tyranni, qui, cum adolescens quidam amore filiae ejus virginis accensus, in publico obviam sibi factam osculatus fuisset, ab uxore hortabatur, ut ab eo supplicium capitale sumeret: At verò respondit, si eos qui aded nos amant interficiemus, ecquid iis quibus odio sumus, faciemus. Val. Max. c. 5. l. 1. Sed in viam revertor. Vasallum ergò sine periculo sororem, filium, neptem vé osculari posse probavimus, ubi tamen abstinebit famæ & honori insidiari; hæc enim in contumeliam ipsius domini redundant, feudoque privant. Ultimò quærent de concubina domini & pedissequa, an propterea Vasallus struprum his inferens, suum perdat beneficium, quod mihi tamen non videtur, & malim ego domino injuriarum actionem concedere, quàm removendi causam. Ludvv. in Synops. Feud. c. 16. contra Rittershus. 2. c. 5. quæst. 105.

XXXIX.

A persona domini transgredimur ad rem: Vasallus autem malè se circa illam gerens, feudum sine dubio amittit.

Id verò maximè fit, si feudum vel partem hujus negaturus sit, tantumque sibi perdit, quantum negat. C. si Vasallus 38. Feud. Idem est si instrumentum investituræ neget, quoniam
niam

nam Vasallus domino petenti, instrumentum edere tenetur, insuper instrumentum abnegans, simul quoque ipsam conditionem & qualitatem, quæ instrumento contineri solet, abnegasse censetur. *Schrad. p. 9. c. 6. n. 23.* Fit deinceps etiam, si alienatur à Vasallo feudum. *c. si. Clientulus. 13. F. 1.* Vasallus enim dominum alienando feudum contemnere videtur, *c. prima. S. fin. 2. F. 24.* redditque domini conditionem deteriore, ut tamen justè Vasallus cadat ob alienationem, Doctorum caterva tria requirit, quæ si placet, vid. apud *Vultej. lib. 1. c. 1. n. 42. Rittersbus. lib. 2. c. 3. quest. 1.* quique è Gunthero hos ad evitandam alienationem recitat versus:

Hæc fieri Magnus vetuit Lutherius ad nos

Facta retractari volumus faciendâ caveri.

Tertio ob deteriorationem rei feudalis Vasallum feudo cadere, *c. Fridericus 2. S. 8. F. 2.* luculenter ostendit, cujus tria requisita pariter videri possunt apud *Ludvv. c. 17.* Quarto ob venditionem sine consensu domini factam, *c. prima 24. in fin. F. 2.* Quinto ob oppignorationem, quâ possessio in creditorem transfertur, *c. Imperialem 55. in pr. F. 2.* Sexto propter donationem, neque enim donare, nec judicare pro anima, vel indotem pro filia dare ullius curiæ consuetudine Vasallus poterat, *c. Est autem 9. F. 2. in S.*

XL.

Hæc de feudalibus: In allodialibus similiter feloniam committere potest Vasallus.

Sicut Vasallus plurimis modis domino nocere potest, ita etiam in allodialibus, v. g. Si in munitionibus vel aliis possessionibus domino damnum dederit, *c. 6. F. 2.* ubi præcipitur *Tutum*, idque ideò, ne sit ei damno de secreto suo, vel de munitionibus suis per quas tutus esse potest.

XLI.

Vasallus parricidium, crimen læsæ Majestatis committens, convasallum prodens, feudo exuitur.

Sic enim textus habet in sæpè *d. c. prima. 24. S. denique 2.* Sin verò non in dominum, sed in alium graviter deliquerit, vel grave quid commiserit, sicut ille qui fratrem suum interfecit,

F

vel aliud grave crimen, (quod parricidii appellatione continetur) patravit feudum amittit: per fratrem verò intelligo fratrem Vasalli, non verò domini, quia in hoc non parricidium, sed homicidium committeretur, neque hoc homicidium sufficit ad privandum feudo Vasallum, nec obstat, quòd feudo cadat propter stuprum, quòd Sorori domini intulit. Respondemus enim ex l. 8. §. 2. ff. *Quod met. caus.* Viris bonis iste metus major quàm mortis est: Sic quamvis, mulier, maluit tamen vità carere, quàm honore suo & castitate Lucretia, de qua Ovid. lib. 2. *Fast.*

*Tunc quoque jam moriens ne non procumbat honestè
Respicit, hæc etiam cura cadentis erat.*

Quam historiam Livius accuratissimè describit. Et cum de mulieribus jam sermo sit, exemplum Olympiadis matris Alexandri repono, quæ moriens capillis crura texit, ne quid posset in corpore ejus indecorum videri, Tiraquell. 4. *Connub. n. 33.* ex Justino. Sic in Hungaria Nicolaus Serinus (quem nuperrimè etiam retulit Dn. D. Brandm. in *disp. ad pr. proëm. Inst. thes. 89.*) æternam memoriã dignus, cum Zigotho pro Cæsare præesset, urbemque Solymannus ducentis armatorum millibus stipatus, assiduis centum & viginti tormentorum ictibus redegisset ad extrema, eam tamen dedere noluit, sed cum suos ad honestè potius cadendum quàm serviendum excitasset, pretiosissimis quas habebat indutus vestibus, aditum apertum ultrò portæ occupavit, ubi post aliquot Turcarum millia ad orcum demissa, eadem animi constantiã cum suis occubuit, quã antè defenderat urbem. Neque hinc Doctorum sententiã subscribere possum, qui tum demum parricidium esse volunt, si id fiat hæreditatis obtinendæ gratiã, velut in c. *Si quis 37. F. 2.* Rectius ego cum Rittershusio hanc limitationem omittendam puto, quã enim quis intentione fratrem occiderit, semper verum est eum commisisse parricidium, l. 1. ff. d. *Leg. Pomp. de parricid.* Testis assertionis nostræ sit Arturus Angliæ Rex, Richardi filius, ille cum à patre suo Johanne nefariè cæsus esset, Philippus Augustus Galliæ Rex, qui Arturum vivum totis viribus defenderat, etiam ipsius indignissimam mortem ultus est, damnando Johannem.

Johannem apud se & Pares Franciæ de parricidio accusatum,
& feuda quæ à se tenebat in Francia ipsi auferendo. Sic quoque
qui crimen læsæ Majestatis committit, indignus feudo erit, ubi
tamen distinguo, inter crimen perduellionis & Majestatis in
specie sic dictum, illud est, quod hostili animo in dominum
eum violando, vel interficiendo committitur, quò pertinent
etiam seditiones & conjurationes adversus dominum vel
alium, hoc verò, quoties quis alio quovis modo majestatem
domini lædit vel offendit, *l. fin. ff. ad L. Jul. Maj. de priore* nunc
nemo dubitat, quin beneficium per id amittatur, bona enim
etiam allodialia patrato hoc crimine trahuntur ad fiscum. *Nov.*
134. c. fin. Sic habent verba constitutionis. Wo aber der friedbruch
wider den Lehnherren beschähen wäre / so soll derhalb etwas hierin das
Lehnrecht vermag vnd gebräuchlich ist / gehalten werden. *Gail. 2. de*
Pac. Publ. c. 13. Expressus etiam hac de re habetur textus in capit.
Ferdinand. III. *Imp. art. 28. verb.* Wir gereden vnd versprechen
auch / daß wir die Churfürsten vnd Stände des Reichs mit ihren
angehörigen Lehnen / sie seyen auch gelegen wo sie wollen / want
derselben Vasallen vnd Vnderthanen solche ex crimine læsæ Ma-
jestatis oder sonst verwürcker / nach ihrem willen schalten vnd wal-
ten lassen / Keines weges aber dieselben zum Keyserlichen fisco ein-
ziehen / noch ihnen vorige oder andere Vasallen auffdringen wol-
len / vielweniger da es wider ihren willen geschähe. & alibi, auch
die Lehen so viel der überfahrer deren gebraucht / sollen dem Lehn-
herren verfallen / vnd sie derselben Lehn oder theil derselben / so lang
der Friedbrecher lebt / ihme oder andern Lehns Erben zu verleyhen /
oder denen seinen theil der abnutzung folgen zu lassen / vnverbunden
sein. *N. A. zu Wormbs anno 1495. sub tit. die poen der Friedbrecher.*
Si quis verò crimen majestatis in specie sic dictum commiserit,
hujus, cum certa pœna in jure feudali definita non sit, judicio
parium relinquendum censeo. De traditione convasalli loqui-
tur textus *c. 37. F. 2. verb. tradendo hominem, vocem verò trade-*
re Longobardis significare prodere, atque Italis hodiè tradito-
rem esse proditorem, post Rittershus. notat Struven. in d. Syn-
tagm. jur. Feud. c. 15. thes. X. rationem eliciendo ex ipso textu,
quòd sc. propter hujusmodi traditionem in curia ampliùs sta-
re nequeat: Addunt DD. sui ipsius occisionem quam tamen



non aliter valere volumus, quàm si ob tale delictum id ipsum factum sit, propter quod etiam si adhuc viveret, beneficio indignus esset.

XLII.

Sine feloniam feudum quatuor modis amittitur: Morte Vasalli. Rei feudalis interitu, Refutatione feudi, Defectu ac inhabilitate serviendi.

C. Est autem, pr. qualiter olim pr. feud. alien. 9. F. 2. vid. Ludvv. ad J. ult. & pen. Inst. d. Usuf. sepè d. Synops. feud. c. 18. Rittershus. 2. c. 6. quast. 1. cum seq. Vultrej. 1. c. II. num. 2. 3. & seq. Schneidvv. p. 8. c. 1. num. 185. cum seq. Jacobur. d. Franch. num. 163. apud Mozzium.

XLIII.

Sciendum denique est, quòd etiam dominus ob delictum in Vasallum sive in alium commissum, ob quod Vasallus feudum amittit, amittat dominium directum.

Causas ob quas dominus proprietatem amittit Bes. in thesaur. pract. lit. L. num. 41. & quidem vernaculâ linguâ recenset, quas, scilicet, meas jam faciam. Der Lehnherz verwirckt sein Eynenthumb 1. Wann der Lehnmann in einer offenen Feldschlacht / vnd grossen gefahr begriffen / vnd der Lehnherz ihn verlässt. 2. Wann der Lehnherz seinem Lehnmanne heimlich nachstellt. 3. Wann der Lehnherz den Lehnmann mit schwächworten angreiffet vñ schändet. 4. Wann er den Lehnmann mit gewalt oder list angreiffet. 5. Wann er den Lehnmann gar umb das leben bringt. 6. Wann er den Lehnmann wegen einer mißhandlung anflagt. 7. Wann er in peinlichen sachen wider denselben zeugnuß ertheilet. 8. Wann er eine actionem famosam wider denselben anstellet. 9. Wann er seines Lehnmannes heimlichkeit offenbaret / ihn dadurch in schaden zu bringen. 10. Wann er seinem Lehnmann nicht leistet / wozu er krafft des Lehnbrieffs verbunden. 11. Wann er dem Lehnmanne die belehnung vnd gewöhnliche lehnbrieffe zu ertheilen verweigert / oder die belehnung über Jahr vnd tag auffschiebet. 12. Wann der Lehnherz dem Lehnmanne das recht versaget oder allzulang verziehet. 13. Wann des Lehnherz Sohn sich wider den

Den Lehnmann vergreiffte / vnd der Lehnherz denselben nicht von sich
 schaffet. 14. Wann er mit des Lehnmanns feinden zu desselben
 Nachtheil bündnuß macht. 15. Wann er des Lehnmanns feinde
 einen durchzug gestattet. 16. Wann er mit des Lehnmanns
 Eheweib / Hochzeiterin / tochter oder Schwester vnzucht verübet.
 17. Wann er des Lehnmanns Ehegemahl / Sohn / Vatter / Mutter
 vnd Hausgenossen an ehren angreiffet. 18. Wann der Lehn-
 herz ein parricidium begeheth. 19. Wann er ein crimen læsæ ma-
 jestatis anstiffet. 20. Wann der Lehnherz den gemeinen Landfrie-
 den bricht. 21. Wann er eine verrätherey begeheth. 22. Wann er in
 einer criminal-sach verdammt worden. 23. Wann der Lehnherz
 bey anderen mit ehren nicht stehen darff. 24. Wann er des Lehn-
 manns Städte / Schlösser / Häuser belägeret. 25. Wann er ihn de-
 possessioniert. 26. Wann er ihn für gefahr nicht warnet. 27. Wann
 er ihm an seinem vermögen schaden thut. 28. Wann er ihn nicht
 ledig macht. Sic namque clientela feudalis pari utrinque fide
 & benevolentia nitatur oportet *c. imperialis 52. §. ult. F. 2.* Sic
 Justinianus non modò justas exheredandorum liberorum, ve-
 rum etiam prætereundorum parentum causas exposuit *Nov. 115.*
 Atque memorabile est, quod in Germanicis historiis legimus
 anno M. C. C. C. Septem viros Germaniæ Principes electo-
 res de cæterorum Principum ac Civitatum sententiã Wences-
 lao Imperatori germanico imperium abrogasse: Cujus abro-
 gationis formulam hanc Münsterus prodit *lib. Cosinograph. 3.*
 Nos Joannes Archi-Episcopus Moguntinus, Sacri Romani
 Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, nomine dicto-
 rum Dominorum Principum Electorum S. Rom. Imperii, at-
 que nomine nostro, propter multas prægnantes causas nos ur-
 gentes, & intolerabiles exorbitationes, amovemus & depo-
 nimus hæc nostrã sententiã dictum dominum Wenceslaum, ceu
 inutilem, ignavum & penitùs ineptum ad Romanum Impe-
 rium, ab ipso Romano Imperio, atque ab omni sibi debita glo-
 ria, honore & majestate: Denunciantes omnibus Principibus
 proceribus, dominis & servis, civitatibus, regionibus & popu-
 lis, sacro imperio subjectis, quòd deinceps penitùs absolven-
 tur, & absolutos pronunciamus ab omni homagio & juramen-
 to, memorato Wenceslao nomine sacri Imperii præstito, mo-



nemusque & requirimus eos per juramentum, quo astricti sunt sacro Imperio, ne posthac dicto Wenceslao ullo pacto obedi-
diant, aut obsequantur, neque illius ullum, obsequium, cen-
sum, redditum, aut ullam obventionem quocunque nomine
tandem appellerat, tanquam Romano Regi præbeant, exhi-
beant aut permittant exhiberi, sed omnia hæc reseruent pro
illo, quem Dei gratiâ ceu utilem & idoneum in Romanorum
Regem eligi continget.

XLIV.

Et sic quoque telum propositi nostri perteximus, quod quantum fuerit non erubescimus publicæ sub-
tiliorum submittere disquisitioni, dicant si quid erra-
tum est, & discam, corrigant, si quid intermissum à ca-
lamo festinante fuerit, & humaniter accipiam: Nec
enim à me humani quicquam alienum puto, nec pige-
bit unquam sicubi hæsitamus quærere, nec pu-
debit sicubi erramus
discere.

COROLLARIA.

1.

Urtum simplex est capitale.

2.

Polygamia nec est, nec fuit licita.

3.

Concubinatus nec de jure Civili nec Ca-
nonico est sublatus.

4.

Tyranni dum Magistratum gerunt
non sunt occidendi.

VIRO NOBILISSIMO
CVI
VT
ERVDITIO AC VIRTVS
PERPETVI ESSENT COMITES
NIVEO COMMUNICATIONIS
NEXV
IN DIVINIS HVMANIS
SE OFFVDERVNT PLVRIMA
ET RARÆ
APVD PLEROSQVE IMITATIONIS
DN. OTTONI HENRICO *Calckhofen*
CASSELLANO
IVRIS CANONICI
CIVILIS
TITVLVM PRÆROGATIVAM
SVMMA ELOGIA
DISSERTATIONE PVBLICA VINDICANTI
BENEVOLI AFFECTVS
INTAMINATA
QVA NONDVM CALAMI DEFLORVIT
LEPOS
SVBMITTIT
JACOBVS BRANDMYLLERVS.



SE cuicumque solet primis opponere in annis
Alma Themis, primos impedit illa gradus;
Cominus instantem vultu fugitante repellit,
Quam plures tantum jam repulisse jubar.
Si non inflecti vocis candore juvenus,
Non alio duci fervida facta potest;
Verum precipites ausus sublimibus aucti
Aestibus hac animi justa petita putent,
Asserit in fluctu non posse latere serenum,
Rursus, qua periit, non rediisse ratem.
Hic jaçtet properi celebrantia vota triumphi,
Quo spe nascatur spes generosa sua:
In vacuo quovis fingat miracula, Marti
Nomen inexperti roboris exhibeat:
Ambiguo trepidat casu, se lenta ruina
Prodit & indicis anxia tota patet.
Errores tandem deducit fabula tristis,
Ipsa sui scabiem gutturis urget anus.
Qui fuerat nuper magni promissor hiatus,
Nunc teretes aures condit utraque manu:
Qui traxit laqueis hostem post terga revinctum,
Nunc trahit ancipiti vincla relaxa pede.
Ambitus eripitur, cessant deliria mentis,
Et nihilo aut pluviâ plena lacerna madet.
Non deinceps corpus fessos extendet in artus
Torporem, fastus est levioris onus.
Non facilis surget, non surget garrula cervix,
Agnoscet tumidum fata recurva capus.
Qui sperabatur Dictator in urbe futurus,
Edictis empti pradia ruris alit.

Ne reputes

Ne reputes cacum, famulos post rastra revisit,
Ne mutum, rudibus efflat inane labris.
Non equidem est Bacchus, tamen & juga flectit habenis
Pampineis, Nysæ vertice cingit equum.
Porfena libarit Tusca tria pocula gleba,
Hujus deliciis frigidiora daret.
Traducit noctes pateris, è cornibus uvas
Sorbens aurora largius orbe rubet:
Inde suas effert curas vigilantia, laude
Ut crescat radios postera junge dies:
Alterius non sit digito narrare rigenti
Tanta, relicta suo cuncta pudore cadant,
Hic narrat, narrata semel narrare retrorsum
Incipit, in lato tramite narrat idem:
Quæ sint neglecto studio potiore nepoti
Cara futura, probat cara futura nepos.
Si quis olor, niveo Spartanus cedit olori,
Ac Paphia Paphiam quaque columba refert:
Velleribus major non est Appulia primis,
Non mage velleribus Parma secundâ nitet.
Vicini numerent inclusa animalia, querit
Vicinum ne pecus grandius uber habet?
Lac sit vicinis, illorum lilia vincant
Lactis candorem, candidiora canit,
Sic mihi Erythreis nivibus sunt amula dona,
Inter utrumque pedem mulctra rotunda placet:
Si superent pueri, quibus est lallare negatum,
Irati mammae lactea despicerent.
Rusticus huic credat nutrisi, fusus in alas
Et credat ventrem posse volare suum,
Credant, qui cogunt reboantia ab ore furenti,
Quiq; asinos asinâ multiplicare solent.

Credant, qui credunt juncti, quod jaspite salvâ
Jam sint stellati, sideribusq; micent.
Credant carule ampallam per inane trahentes,
Et quibus est tantum quod per inane trahant.
Non credis Legum solidarum Purpura digna,
Ut sit certa fides est tibi nostra fides.
Malles, quam stolidis nugarum credere gerris,
Otia, sunt animis hæc aliena tuis.
Id credant alii, nunc scribere vera Poëtam,
Nec dubitent nostris versibus esse fidem.
Tempora erant B A S I L E A tibi, queis quisque latentem
Sub gemitu potuit extimuisse luem:
Mansisti dulci B A S I L E Æ cultor, amicus
Noster eras, studii cura secunda mei.
Te viso crevere suis tot carmina verbis,
Pars aliò tendat plurima, sponte manes.
Tu, seu vita velit, faciem viventis amore
Circundas, si mors sternat, amore jaces.
Allapsus tumulis solennia sacra fateris,
Vivam, sum vita cum moriente satur.
Vivis adhuc, felix te sospite Patria vivit,
Vivet & in Patria Curia voce tuâ.
Ore redis graviore, tibi collecta vetustas.
Cedit & instructum Numine pectus habes.

F I N I S,

Basel, Diss., 1666-69

ULB Halle 3
005 128 684



V177





12579

74¹⁰

OTTONIS HENRICI CALCHOVII,
Hasso-Cassellani,

DISPUTATIO INAUGURALIS 1668, 2
JURIDICA

De
F E V D I S,

Et in specie

de
Modis acquirendi & amittendi,
eorumque explicatione:

Quam,
PRÆSIDE DEO T. O. M.

AUTORITATE ET CONSENSU
Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi Juris-
Consultorum Ordinis in per-antiqua
Rauracorum Academia,

Publicè examinandam proponit,
Die XIX. Maji Anno M DC LXVIII.
Loco horisque solennibus.



BASILEÆ, Typis JOHAN. JACOBI DECKERI,
Academiae Typographi,

